




FRONTONIANA.


DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE IX. M. JUNII A. MDCCCLXXXIII HORA XI½
IN AULA LEOPOLDINA
PUBLICE DEFENDET

THEODORUS SCHWIERCZINA
SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
LEOPOLDUS SKOWRONSKI, CAND. PHIL.
JULIUS BRZOSKA, DR. PHIL.



VRATISLAVIAE.
TYPIS SOCIETATIS TYPOGRAPHORUM VRATISLAVIENSUM.
MDCCCLXXXIII.


HARVARD COLLEGE
OCT 18 1901
LIBRARY

PARENTIBUS

SACRUM

Praefatio.

Commentatione hac de Frontone conscripta id nobis proposuimus, ut Frontonem praecipue antiquorum nonnumquam tamen etiam recentiorum aemulatorem esse ostenderemus. Cum autem illud iam satis inter omnes constaret Frontonem omnino priscos scriptores nimis admirari et aemulari, id potissimum nostrum esse putavimus, ut singulas apud Frontonem singulorum auctorum veterum imitationes diligentius indagaremus.

Quam quaestionem ita instituimus, ut in exordio, quo in statu ineunte altero p. Chr. n. saeculo litterae Romanae fuissent, quaque de causa Fronto archaismos usurpasset, breviter explicaremus. Iam ad singulas imitationes accedentes primum de Frontone veterum oratorum praecipue Catonis summo laudatore atque imitatore verba fecimus. Tum explanare studuimus, quale fuisset Frontonis iudicium de veteribus historicis imprimis de Sallustio, quidque ex hoc auctore decerpsisset. Tertio denique loco disputandum fuit de Frontone veterum poetarum expilatore potissimum Plauti, Ennii, Terentii.

Cum autem in ea re quaestio versaretur, uti, quae singulis priscis auctoribus Fronto deberet, investigaremus, haud raro accidit, ut eadem Frontonis vox aut locutio apud plures scriptores reperiretur, nec nostra quidem sententia subtilius definiri posset, ex quonam eorum esset deprompta. In eiusmodi igitur vocabulis, quae in calce huius quaestiunculae adiunxi-

mus, satis habuimus omnino veteres scriptores ut vocabulorum auctores demonstrasse.

Iam de altera commentationis nostrae parte, qua probaturi sumus Frontonem etiam recentiores imitatum esse, pauca praefari liceat. Sane illud quidem viri docti iam ante nos animadverterunt, Frontonem celeberrimum antiquarium — quod vix opineris — etiam ex eis quae post Ciceronem elegantius excolebantur litteris nonnulla decerpsisse. Sed diligentius perquirendae huic rei nemo adhuc studuit. Itaque iam nos ad singulos scriptores eliciendos aliquid, quantulumcunque est, conferre voluimus.

Atque hanc quidem disputationem inde ordiri nobis placuit, ut singulari illo Frontonis de Cicerone iudicio prolato, quo epistulae orationibus multo perfectiores declarantur, primum ea enotaremus, quae Fronto ex Cicerone desumpsit. Deinde ad Augusteam aetatem processimus et Horatium Liviumque potissimum a Frontone tacite exscriptos esse demonstravimus. Cum autem in ea dissertatione, de qua praefamur, etiam in argenteae aetatis scriptores inquirendum esset, primum Frontonis sententia de his auctoribus a nobis relata est. Tum singulis singulorum vocabulorum fontibus eruendis nosmet dedimus.

Sed in hanc rem incumbentibus nobis res minus ex voto cessit. Nam solum ferme Tacitum ut certum vocum auctorem aliquot locis expiscari licuit. Plerumque vero res ita se habuit, ut idem verbum Frontonis apud plures scriptores inveniretur. Itaque iam in eo acquiescendum erat, ut vocem omnino ex argenteae aetatis vocabulorum copia repetitam esse affirmaremus. Conclusa autem est haec commentatio aliquot vocabulis et locutionibus, quae Frontonem ut causidicum haud ignobilem ex iurisconsultorum sermone deprompsisse est verisimillimum.

Sane non ignoramus nos non omnia reperisse, quae Fronto et ex antiquis et recentioribus litteris hausit; sed hanc veniae impetrandae causam fore speramus, quod tale opusculum iam multo maius temporis spatium efflagitat, quam quo huiusmodi studiorum primitiae confici solent.

His de Frontonis alios auctores imitandi studio quaestionibus emendationes nonnullas adiunximus. Quae si non prorsus improbatae fuerint a viris doctis atque aliquantulum ad Frontonis textum admodum male habitum in meliorem statum traducendum valuerint, iam maximum operae pretium nos percepisse existimabimus.

In appendice denique addita sunt synonyma et deminutiva Frontoniana.

Scr. Vratislaviae pridie Non. Decembr. a. MDCCCLXXXII.

I.

De Frontone veterum imitatore.

Cum Augusto mortuo eius successores omnes praeter Vespasianum et Titum eloquentiam liberam e senatu et iudiciis removissent atque omnino libere dicendi et scribendi facultatem hominibus ademissent, omnium litterarum solae ferme exercitationes rhetoricae ab imperatorum perniciosa libidine incolumes manserunt. Namque cetera studiorum genera veluti historiarum scriptio, nisi videbantur effrenatam Caesarum dominationem probare atque adiuvare, exstinguebantur. Quae cum ita essent, perexigua pars hominum, inter quos haud infimum locum obtinebant iurisconsulti, animos et vires ad libros probe et libere conscribendos retinuerunt. Hi quidem praecipue cum initio alterius p. Chr. n. saeculi pristina loquendi libertate uti rursus liceret contemptis illis scholarum declamationibus, quae exstirpatae eloquentiae locum occupaverant maximeque omnium litterarum in usu fuerant, bona scribendi argumenta tractarunt atque florentis latinitatis sermonem imprimis Ciceronianum usurparunt.

At longe plurimi diuturno dominatu, quo inde a Tiberio usque ad Nervam — Vespasiani enim et Titi tempora breviora erant, quam quae ad litteras in pristinum statum flo-

rentem restituendas quidquam proficere possent — hominum ingenia vincta et oppressa tenebantur, adeo languidi confectique erant, ut orationis libertate reddita praeter declamationes vix quidquam proferre possent. Ita litterae Romanae exeunte argentea aetate ferme interiturae videbantur.

Verum propria quadam ratione evenit, ut non solum non perirent, sed contra novi vigoris et cultus speciem quandam prae se ferrent. Putabant enim homines fore, ut litterae marcescentes reviviscerent atque reflorescerent antiquorum studio et imitatione. [1])

Neque ea res apud Romanos solum accidit. Etenim apud omnes fere nationes animadvertas litteras, simulatque in praestantiae fastigium quoddam escenderint, paulatim deinde depravari hominesque, cum ex fundamento, quod optimi auctores condiderint, litteras producere non possint, antiquos scriptores amplexari eorumque linguam revocare solere, ut sermonem reficiant et reforment.

Certe iam summo iure id affirmare possumus de M. Cornelio Frontone. Existimavit enim illustrissimus ille sub Hadriano Antoninisque rhetor atque M. Aurelii et Lucii Veri magister linguam latinam labentem redintegratum iri maiore industria in rectum verborum usum impensa. Namque vocabula, uti dilucide epistularum loco quodam dicit iam inde ab aetate Ciceroniana a notionibus significandis aberraverunt. [2])

[1]) Iam ante secundum p. Chr. n. saeculum antiquitatis recolendae studium quoddam in litteris Romanis reperiri demonstravit M. Hertz: Renaissance und Rococo in der römischen Litteratur. Berlin 1865. p. 19 sqq.

[2]) cf. p. 63, 13—21. Nab. 'Quom tamen in omnibus eius (Ciceronis) orationibus paucissima admodum reperias insperata adque inopinata verba, quae nonnisi cum studio atque cura atque vigilia adque multa veterum carminum memoria indagantur. Insperatum autem adque inopinatum verbum appello, quod praeter spem atque opinionem audientium aut legentium promitur: ita ut si subtrahas adque eum qui legat quaerere ipsum iubeas, aut nullum aut non ita ad significandum adcommodatum verbum aliud reperiat.' 'Inopinatum verbum' pro 'inopinatum vero' emendaverunt Maius et Studemundus:

Contra apud antiquos praecipue apud Catonem, Sallustium, Plautum, Ennium verba et notiones, ut putat, probe inter se quadrant.[1]) Itaque ex eorum potissimum lectione et aemulatione novum litterarum incrementum exspectat.

Sed praeter hanc quam modo protulimus antiquorum imitationis causam alia quoque suberat in Frontone, quae omnino in omnes antiquarios cadit. Archaismi enim ex priscis auctoribus praeter audientium opinionem deprompti novorum[2]) speciem praebebant, quae quidem homines summa cum delectatione audiebant, proferre autem de suo non poterant.

Quae cum ita essent iam diligentissime Catonis, Gracchi,

---

epist. crit. ad. R. Klussmannum p. XXXII, quae adiuncta est Klussmanni libello: Emendationes Frontonianae. Berolini 1874.

[1]) p. 62, 9—20. 'In verbis vero eligendis conlocandisque ilico dilucet: nec verba dare diu quis (emend. Klussm. l. c. p. 44) potest, quin se ipse indicet verborum ignarum esse, eaque male probare, et temere existimare, et inscie contrectare, neque modum neque pondus verbi internosse. Quam ob rem rari admodum veterum scriptorum in eum laborem studiumque et periculum verba industriosius quaerendi sese commisere. Oratorum post homines natos unus omnium M. Porcius eiusque frequens sectator C. Sallustius: poetarum maxime Plautus, multo maxime Q. Ennius (cf. Studemund ap. Klussmannum l. c. p. 44 adn. u) eumque studiose aemulatus L. Coelius, nec non Naevius, Lucretius, Accius etiam, Caecilius, Laberius quoque.'

p. 161, 12—15. 'Revertere potius ad verba apta et propria et suo suco imbuta. Scabies, porrigo ex eiusmodi libris (Senecae et Lucani) concipitur. Monetam illam veterem sectator.'

Praeterea Frontonis scrupulosum studium verborum, quae notionibus significandis aptissima sint, inquirendorum elucet ex his locis, quos satis habemus numeris indicasse. cf. p. 12, 8. 64, 3—24 (cum emend. Hauptii op. III p. 563 'inscientiam') 66, 1—15. 78, 4—6. (40, 22). 98, 23 sq. 99, 11—14. 159, 7. 159, 15—18. 162, 4—6. In numeris afferendis hanc legem sequimur, ut librorum et epistularum titulos in versuum seriem recipiamus.)

[2]) p. 151, 6 'ut — de contaminatis nova redderes.' 153, 4 'nonnihil interdum elocutione novella parum signatum.' cf. praeterea: 14, 6 (cum con. E. Klussmanni philol. XXVII p. 240 'antiquam.') 140, 13—15. De hominum delectatione cf. 159, 3—5. 20, 17—21, 11 (cum emend. Studemundi l. c. p. IX. 'cum ignobili').

Plauti, Ennii, aliorumque auctorum veterum scripta lectitabantur et excerpebantur et commentariis illustrabantur, qua in re non minimum homines adiuvabantur Hadriani ipsius exemplo atque auctoritate. Atque primum locum inter istos antiquarios obtinuit Fronto. Praeter enim Hadriani antiquitatis studium imprimis eius opera factum est, ut litterae tam diu antiquum colorem servarent, quoniam sectae Frontonianae princeps exstitit, quae centum paene annis magistri scribendi praecepta religiosissime observabat. [1]) Tantaque erat eius gloria apud suae et posterioris aetatis homines, ut principio quarti p. Chr. n. saeculi ab Eumenio 'Romanae eloquentiae non secundum, sed alterum decus' appellaretur. Cf. Eum. pan. Const. c. 14, 2.

Iam paululum hic digredi liceat a re proposita, ut inquiramus, num rectum iudicium Eumenius de Frontone fecerit. Hoc enim Eumenii testimonium summis laudibus abundans potissimum in causa fuit, quod homines, postquam Frontonis scripta deperdita aegerrime tulerunt, summo gaudio affecti sunt, cum ante hos fere sexaginta annos ab Angelo Maio ex tot saeculorum oblivione Fronto in lucem prolatus esset. Quamquam, ut M. Hertz: Renaiss. p. 27 optime monet, suspicionem movere debuit, quod Fronto a Marco laudabatur propter veri amorem (cf. M. Aurel. ὑπομν. εἰς ἑαυτόν I. 11) non laudabatur propter eloquentiam; immo tantum aberat, ut Marcus grandiore aetate Frontonis facundiam probaret, ut deis gratias ageret, quod a Rustico ad philosophiae studia deductus non maiores in eloquentia progressus fecisset ideoque a potioribus rebus gerendis retardatus non fuisset. (cf. M. Aurel. l. c. I. 7 et I. 17.)

---

[1]) Fronto ipse sectam suam memorat p. 95, 23 sq. cf. etiam p. 120, 14 sq. Ad sectatores Frontonis, quorum religiosissimus erat Gellius, plenius cognoscendos plurimum emolumenti praebent epistularum ad amicos libri, unde discipulos iam diligentissime eruit Teuffelius: Röm. Lit. Gesch. [4] § 364. 3. Praeter autem eos, qui ibi afferuntur, Frontonis discipuli fuerunt hi: Sardii Saturnini filii, quorum alteri erat nomen Sardius Lupus (cf. p. 180, 19 sq. 187, 15 sq.) Aemilius Pius (179, 18 sq.) Faustinianus (177, 10 sq.) Sextius Calpurnius Julianus (170, 4).

Sed haec Marci testimonia aeque neglegebantur ut Macrobius, qui Frontoni 'siccum' dicendi genus attribuit (cf. sat. V. 1. 7.) nec impedimento fuerunt, quin homines de Frontone optime existimarent et sperarent.

Attamen falso iudicasse Eumenium de Frontone nunc iam inter omnes convenit. Comprobatur enim solum Marci de Frontonis probitate iudicium, cui quominus etiam nos assentiamur, non obstat, quod Fronto nimio amore perductus alumnos excelsos nonnumquam plus aequo celebrat. [1]) Nam praeterquam quod auctoritate, qua erat apud imperatores, numquam ad malas res perficiendas abusus est, plurimis locis reperitur veri amantissimus, [2]) in adiuvando promptissimus, [3]) in amicitia vero vel contra imperatorum voluntatem fidelissimus. [4]) Quare quod ad naturam et mores hominis attinet, dignus videtur statua, quam M. Aurelius ei in senatu petivit. cf. Capitol. M. Ant. Phil. c. 2.

At mirum quantum spe decepti sunt illi, qui eius scriptis notitiam antiquitatis amplificatum iri speraverant. [5]) Certe fata eius famae melius consuluissent, si perpetua oblivione obrutum sivissent. Nam pro celebratissimo rhetore atque oratore merus apparuit antiquarius, qui nihil aliud nisi eloquentiam commendat [6]), quae, ut ipse saepissime declarat, non ex Cicerone, verum ex antiquis est discenda.

Sed iam eo nobis progreditur oratio, ut accuratius exponamus, quos potissimum scriptores Fronto habeat prae-

---

[1]) cf. p. 122, 4—8. 41, 25—26. 202, 14—16.

[2]) 49, 14—15 M. 49, 22 M. 130, 16—19 V. 235, 18 F. 182, 14—16 F. 184, 6—7 F. 165, 20 F. 171, 4 F. 167, 12 F = Fronto. M = Marcus. V = Verus.

[3]) Documento sunt multae epistularum ad amicos. cf. etiam p. 86, 6 sq. 87, 2 sq. 133, 22 sq. 170, 2 sq.

[4]) cf. p. 165, 15—166, 3.

[5]) cf. etiam quae dicemus p. 11 adn. 1.

[6]) Quanti eloquentiam rhetor faciat, apparet ex epistula quadam ad Verum p. 122, 18 'Igitur si verum imperatorem generis humani quaeritis, eloquentia vestra imperat, eloquentia' e. q. s. cf. etiam p. 141, 20—142, 6.

stantissimos ad eloquentiam atque omnino ad litteras Romanas et linguam latinam renovandas. Qua in quaestione maximas utilitates capiemus ex epistularum ad M. Caesarem loco supra laudato (p. 62, 9 sqq.), quo Fronto eos auctores laude gloriaque afficit, qui ad notiones illustrandas optima quaeque vocabula adhibuerint.

Priusquam autem ad singulos scriptores aggrediamur, pauca praeloquenda sunt, quae omnino ad Frontonis antiquitatis vel potius archaismorum studium pertinent.

Atque illud quidem iam supra commemoravimus, scriptores loco modo citato allatos hac potissimum de causa a Frontone celebrari, quod eorum voçes et locutiones ad res significandas accommodatissimae esse ei videbantur. Atque iam omnis Frontonis eloquentia in eo est posita, ut oratio adornetur flosculis ex veteribus auctoribus decerptis.[1]) Profecto autem Fronto hominum magnam laudem adipisceretur, si ea solum verba usurparet, quae cuique rei declarandae aptissima sunt; sed tantum abest, ut hoc faciat, ut ei plerumque quodvis verbum appareat ad significandum peridoneum, dummodo ex antiquis litteris sit depromptum cf. Gell. XIX. 10.

Quare iam undique hic eius nimius, ne dicam caecus amor cascorum verborum et dictionum elucet. Innumeris locis discipulos, ut eiusmodi orationis ornatu utantur, admonet, praecipue vero cum Marcum eloquentiae studio omisso in philosophiam incumbere animadverteret.[2]) Quotiescumque autem alumni vetustatis colore epistulas vel orationes exornarunt, vehementer ab eo collaudantur. Liceat Frontonis ipsius verba ascribere p. 63, 21—24 'Quam ob rem te

[1]) cf. p. 140, 3—5 'ita, ubi verborum praesidiis opus sit, non voluntariis tantum, quae ultro obvenerint, utemur, sed latentia eliciemus atque ad imperandum indagabimus.'

[2]) cf. e. g. p. 151, 4—8 'ut veterum commata, ut cola synonymorum ratione converteres — prisco verbo adornares, colorem vetusculum adpingeres.' 154, 9 'nulla verborum indagatio.' cf. etiam p. 99, 11—15. Quibus ex locis iam manifesto apparet, quam male Fronto praeceptoris munere functus sit. Itaque mirum non est, quod Marcus deis gratias egit, quod in tali eloquentia haud nimium profecisset.

magno opere conlaudo, quod ei rei curam industriamque adhibes, ut verbum ex alto eruas et ad significandum adcommodes.' Vide etiam quae leguntur p. 152, 13—14 'Scis verba quaerere, scis reperta recte collocare, scis colorem sincerum vetustatis appingere.' Quo ex loco cognoscere poteris, discipulum non solum ad verba quaerenda, sed etiam recte collocanda a magistro institutum fuisse.[1])

Attamen praeterire nolumus Frontonem non esse prorsus nescium, quantam curam et diligentiam in eiusmodi antiquorum aemulatione vel potius expilatione adhiberi opus sit. Adhortatur enim Marcum — quamquam ipse huius monitionis saepe memor non est — ut quotiescumque reconditiore aliquo verbo uti velit, identidem secum deliberet, num cum sententia, quam elocuturus sit, ista vox congruat, ne parum probe, quin etiam absurde repetita esse videatur. cf. p. 63, 24 sq. 'Verum, ut initio dixi, magnum in ea re periculum est, ne minus apte aut parum dilucide aut non satis decore, ut a semidocto conlocetur: namque multo satius est volgaribus et usitatis quam remotis et requisitis uti, si parum significent' (emend. L. Schopen. Progr. Gymn. Bonn. 1841 p. 8) cf. p. 152, 10—12.

Quodsi his praemissis nunc, ut est propositum, ad singulos scriptores atque primum quidem ad oratores transimus, omnium certe facundissimus Frontoni M. Porcius Cato videtur esse 'fandi agendique laudibus' ut ait princ. hist. p. 203, 6 'longe praestantissimus omnium.' Aliud de Catone testimonium praedicatione plenissimum legitur p. 129, 7 'Cato ocuit, orator idem et imperator summus.' Iam omnibus locis, quibus scriptores, imprimis oratores, enumerantur, Cato primo loco ponitur[2]); ceteri autem tanto habentur in eloquentia perfectiores, quanto eius sunt similiores. Noli vero

---

[1]) Propter rectam verborum collocationem Fronto Sallustium laudat p. 153, 22—28 ubi recte in Frontonis verbis C. F. G. Müller addidit: 'quique pene manu ventre bona' e. q. s. cf. Fleckeis. annal. 93 p. 490. cf. praeterea p. 65, 15—19 cum coniect. L. Ehrenthalii: Quaestiones Frontonianae. Regim. Boruss. 1881 p. 21 'rate dixerim.'

[2]) cf. p. 145, 10. 149, 21. 105, 1. 93, 9. 114, 5—7.

putare Catonem ideo omnium primum poni, quod aetate sit primus, nam temporis ordinem in eis enumerationibus saepe neglectum vides.

Excellentissimus autem Catonis sectator est Sallustius, videlicet quia verba ad res illustrandas e Catone studiose conquisivit itaque stilum Catonianum diligentissime expressit. cf. p. 62, 17 'M. Porcius eiusque frequens sectator C. Sallustius.' Quare consentaneum est, quod Fronto Marcum cohortatur, ut in orationibus conscribendis Sallustii Iugurtham potissimum et Catilinam aemuletur.[1]) cf. p. 49, 1—3. Iam tertio loco i. e. post Catonem et Sallustium ex Frontonis iudicio ponendus est C. Sempronius Gracchus. Hi praecipue quasi quidam eloquentiae renovandae triumviri aemulatione perdigni existimantur, eorumque facundia cum tubarum clangore sonoro comparatur. cf. p. 54, 17—18. 149, 21.

Quod posteriore loco Ciceronis quoque orationes tubarum modo resonasse perhibentur, inde concludi non posse Ciceronem a Frontone aeque aestimari ut Catonem vel Gracchum vel Sallustium postea intellegemus. cf. quae dicemus p. 29 med.

Sed iam revertamur ad Catonis solius laudes pertractandas, unde quaestionem defleximus. Quoniam igitur Cato Frontonis opinione est orator praestantissimus, non miramur eum imprimis eiusque aemulos cum a Frontone ipso legi, tum alumnis ad lectitandum commendari. cf. p. 36, 23 M. 'Tu (Fronto) cum sine me es, Catonem legis.' Nec frustra fit commendatio. cf. p. 29, 11 M. 'et Catonis multa legi.' 68, 12 M. 'legi Catonis orationem de bonis Pulchrae, et aliam qua tribuno diem dixit.' 69, 11 M. 'legi ex agricultura Catonis.' Quibus ex locis iam satis apparet, quantum fuerit Marci studium in Catone legendo consumptum.[2])

---

[1]) Spectat Fronto hoc loco Sallustium ut oratorem non ut historicum, de quo infra p. 15 sq. disseremus.

[2]) Omnino quantopere in veteres lectiones incumbant, discipuli magistro saepe testantur eumque rogant, ut sibi optima quaeque ex litteris designet. cf. p. 56, 4—7 M. 104, 16—105, 5 M. Qui eis, quo uberiores fructus ex isto studio percipiant, praecipit, ut sententias col-

Verum non solum legendo Catoni, sed etiam imitando Marcus operam navavit. Nam diserte affirmat Catonis quidem lectione factum esse, quod cum studio particulam 'atque' usurpet. cf. 36, 13—15 M. 'nam uni M. Porcio me dedicavi atque despondi atque delegavi. Hoc etiam ipsum 'atque' unde putas? ex ipso furor.' (ita recte Maius et M. Hertz: annal. phil. suppl. 7. p. 23 adn. 53.) Alio quoque loco Marcus Catonem verborum auctorem praedicat. cf. p. 32, 1 M. 'dum se intempesta nox, ut ait M. Porcius, praecipitat.' (Cat. p. 86, 18 Iord.) Atque haec quidem de Marco Catonis lectore atque imitatore. Redeamus ad Frontonem.

Iam summas laudes Fronto Catoni ideo tribuit, quod omnium oratorum, ut ait, et Romanorum et Graecorum praeteritione elegantissime usus sit. cf. p. 99, 18—22. Quam cum Marcum in oratione Cyzicena adhibuisse comperit, adeo laetatur et exsultat, ut eum brevi summum eloquentiae fastigium ascensurum praedicet. cf. p. 98, 3—6. 98, 18—23. Haud temere conicere possumus Frontonem hac in re certe quidem in orationibus iudiciorum exstitisse Catonis aemulatorem frequentissimum. Et quo clarius eluceret, quam egregie Cato rem gessisset, prolixiorem praeteritionis locum ex oratione 'de sumptu suo' totum descripsit. cf. p. 99, 23—100, 21. (Cat. p. 37 Iord.)

Profecto Frontoni plus gratiae haberemus, si ubique pro nimiis istis veterum laudationibus, quae parum ad scriptores plenius pernoscendos valent, potius locos ipsos auctorum exscripsisset. Nam quamvis Catonem laudibus efferat, tamen multum abest, ut per Frontonem quidem nostram de Catone notitiam magnopere auctam praedicemus.[1])

---

ligant, voces singulares investigent, synonyma conquirant, vocabulis et dictionibus priscis utantur. cf. p. 106, 3—7 F. (in marg.) 151, 1—8 F.

[1]) Quod de Catone diximus, etiam in ceteros scriptores a Frontone laudatos cadit; ex quibus ne fragmenta quidem multa Frontoni debemus; nam si ea praetermittimus, atque ea quidem perpauca, quae

Id sane nos primus et solus docuit Catonem scripsisse orationem adversus Lepidum, cf. p. 223, 12—15 (Cat. p. 61) de bonis Pulchrae, cf. p. 68, 12 (Cat. p. 65. Iord.) deinde ei soli debemus duo fragmenta, quorum alterum prolixius quidem est id, quod modo laudavimus ex oratione 'de sumptu suo', alterum, quo Cato optimam militum in re militari instituendorum rationem exponit, est incertae sedis. cf. p. 129, 9—14 (Cat. p. 35 Iord.). Cetera autem quae de Catone traduntur, iam ex aliis scriptoribus noveramus.

Haud dubie a summo eloquentiae Catonianae admiratore te plus de Catone comperturum esse exspectaveris.

Neque minus mirum videtur, quod Fronto, quem omnium maxime oratorum verbis studiosius inquirendis operam dedisse praedicat (62, 15—17), eum non tam saepe vocabulorum usu imitatur quam Plautum.[1]) Profecto id inde exortum est, quod rhetor singularis illius scribendi regulae fuit memor, quam ipse Marco tradit, scilicet in oratione soluta aemulandos esse poetas, contra in poesi scriptores prosae orationis. cf. p. 54, 21 'Plerumque enim ad orationem faciendam versus, ad versificandum oratio magis adiuvat.' Itaque opinari licet versus, quos discipuli cum magistro communicabant, verbis atque dictionibus Catonianis abundasse. cf. p. 34, 4—11. 24, 5—15. 30, 6 sq.

Pertractato Frontonis de Catone iudicio iam singula, quae ex Catone decerpta esse aut pro certo poni potest aut verisimile est, conquiramus. Atque primo quidem loco disputandum est de particula 'atque', quam Marcus ex Catone desumptam esse diserte dicit p. 36, 14—15. Ceteri loci, quibus Marcus hanc particulam usurpavit consulto, sunt hi: p. 31, 17 (bis) 60, 24—25 (ter) 67, 13—14 (bis).

Ut Marcus ita etiam Fronto pluribus locis de industria particula 'atque' verba inter se coniunxit. cf. p. 63, 15—19 (septies) 64, 20 (bis) 21, 16—17 (bis) 143, 8 (bis). Locos

---

tantummodo ex singulis aut binis verbis constant, Ennii nonnisi tria maiuscula fragmenta restant per Frontonem solum servata, Laberii bina, Naevii, Caecilii, Laevii, Novii singula. cf. quae dicemus p. 22 med.

[1]) cf. quae dicentur p. 19 sq.

partim collegit Ad. Ebert: De M. Cornelii Frontonis syntaxi. Erlang. 1880. p. 41.

Quamquam in universum 'atque' apud Frontonem non toties reperitur, quoties id fieri in Catonis sectatore eximio exspectaveris; omnino enim 'atque' a Frontone circiter octogies septies, a Marco vicies quinquies usurpatum est, ita quidem, ut Fronto inter novem 'et' semel utatur particula 'atque', Marcus autem iam inter octo 'et' idem faciat. Sed iam satis diximus de particula 'atque', quam ex Catone depromptam esse efficitur testimonio diserto.

Quae tacite Fronto ex Catone exscripsit, ea viri docti iam maximam partem animadverterunt: Pag. 221, 10 F. 'tela volantia'. Cat. 86, 4. Iord. cf. etiam Liv. I. 13. 1.

Pag. 133, 5 F. sanguinem demittere. Cat. 65, 5. idem legitur ap. Colum. VI. 12. 1; VI. 38. 3. sanguinem dimittere dicit Gell. X. 8. 1. Htz.

Pag. 128, 9 F. consiliosus. Cat. 89, 3. Iord. cf. Studem. l. c. p. XXXI; comparativus et superlativus huius adiectivi exstant ap. Sidon. ep. I. 1; VII. 9.

Pag. 71, 6 M. inpraesentiarum. cf. Cat. r. r. 144. cf. Studem. l. c. p. XXXI. Inde ab antiquis temporibus usque ad recentissima haec vox, quae imprimis apud ecclesiasticos scriptores saepius occurrit, in sermone vulgari usitata fuit; frustra antiquis abrogare studuit Hand, Tursell. III. p. 235 sq.

Pag. 195, 8—9 F. 'quaenam est arboris felicitas? rami fecundi et frugiferi, bacis pomisque onusti.' cf. Cat. 87, 17 Iord.

Pag. 226, 22 F. profanare (eodem sensu ut dedicare) cf. Cat. r. r. 50 et 132; legitur etiam apud Masur. Sabin. ap. Macrob. sat. III. 6. 11; Aurel. Vict. orig. gent. Rom. 6.[1])

[1]) Quominus Catonis imitationem hoc loco statuamus, non obstat, quod hoc verbum eodem sensu etiam apud Masurium Sabinum legitur, qui sub Tiberio floruit. Namque in Frontone ut in antiquario haec lex observanda est: quotiescumque vox aut locutio insolentior, quam Frontonem ex aliis auctoribus repetivisse verisimillimum est, apud antiquos et recentiores scriptores eos, qui ante Frontonem fuerunt,

Reliqua, quae ex Catone desumpta esse possunt, tum proferemus, cum de eis disputabimus, quae omnino ex antiquis fluxerunt. (cf. p. 23 sq.)

Iam in eam disputationis partem processimus, qua in Frontonis de rerum gestarum scriptoribus iudicium nobis est inquirendum. Ut consentaneum est, hic quoque Frontonem deprehendimus antiquorum nimis studiosum, admodum neglegentem recentiorum auctorum atque elegantiorum. Quid enim? Livii aut Taciti ne nomina quidem commemorat, contra vetustos annalium aut historiarum scriptores laude decorat permagna.

Atque maxime quidem inter hos L. Coelius Antipater ei probatur, quod in persequendo bello Punico secundo verba 'insperata' vel potius archaismos ex Ennio industriose acquisiverit. cf. p. 62, 18 'Ennius eumque studiose aemulatus L. Coelius.'[1]) Profecto potissimum ob hanc causam, tum vero etiam, quod Coelius in annalibus vel potius in historiis ornatum rhetoricum adamavit, ad eius studium alumnos incitavit. cf. p. 253, 3—5 M. 'necdum legi Coelianum excerptum, quod misisti, nec legam, priusquam sensus ipse venatus fuero.' 104, 8 M. '[legi ex Coe]lio paululum' si, quod uncinis inclusimus, Maius recte supplevit.

Praeter autem Coelium Fronto etiam Q. Claudium Quadrigarium res gestas elegantissime i. e. antiquo sermone enarrasse praedicat. Cum enim in epistula ad Verum Imp. data hunc quidem historiam 'lepide', Antiam contra 'invenuste' scripsisse contendat, inde elucet Quadrigarium laudari propter archaismos, quibus delectabatur, Antiam autem vituperari propter elegantiorem scribendi stilum, quem ab eo usurpatum fuisse opinari licet. cf. p. 114, 3—4.

---

reperitur, tum ex antiquis eam depromptam esse censeas. Recentiorum imitatio tum solum concedenda est, si ea vox aut dictio non apud antiquos, sed tantum apud recentiores occurrit.

[1]) Quod hunc Coelium Naberus in indice p. 269 appellavit poetam, id vix posse probari iam dixit Herm. Peter: hist. rom. rel. vol. I. p. CCXVIII. adn, 1.

Haud ita omnibus ex partibus, ut Q. Claudius Quadrigarius, Frontoni placuisse videtur L. Cornelius Sisenna. Sane eius diligentiam ad historias componendas adhibitam collaudat narrationem ab eo 'longinque' repetitam esse affirmans cf. p. 114, 4; at quod ad verborum electionem attinet, eum in lascivis[1]) tantum vocibus 'elegantem' fuisse fatetur. cf. p. 62, 24.

Denique Catonem quoque, cuius origines verbis 'multiiugis' expositae opponuntur Coelii historiis ut 'singulis' conscriptis (cf. p. 114, 5), a Frontone haberi historicum haud exigua laude dignum, eis quidem cognitis, quae de Catonis virtutibus oratoriis rhetor existimavit, vix est necessarium monere. cf. p. 203, 8—10. 'ita Cato oppidatim statuis ornandus, qui primam latini nominis subolem et Italicarum originum pueritias inlustravit.'

Omnium vero historicorum Frontoni tanto est nobilissimus Sallustius, quanto Cato oratorum est praeclarissimus. Archaismi videlicet Sallustii plerumque ex Catone decerpti admodum arridebant Frontoni maximeque probabantur. Sed praeter hanc cum Catone similitudinem id praecipue in Sallustio admiratur, quod sententias vel γνώμας pulcherrimas composuerit vel adeo perfectas, ut in ea re a nullo scriptore superari posset. Profecto potissimum hae Sallustii sententiae Frontoni ante oculos obversabantur alumnos adhortanti, ut 'sententias splendidas' ex historia excerperent.[2]) cf. p. 106, 3—4 'sententias arriperetis — ex historia splendidas'. Discipuli autem magistri praeceptum libenter exsequuntur. cf. p. 48, 16 F. 'quod tu (Marcus) gnomas egregie convertisti, hanc quidem — prope perfecte, ut poni in libro Sallustii possit'. Confer etiam p. 49, 12—13 M.

[1]) Verba lasciva non in Milesiarum libris, sed historiis inserta fuisse putat Herm. Peter l. c. p. CCCXXXI. sq.

[2]) Haud paucis locis Frontonem deprehendimus sententias usurpantem: cf. p. 59, 17 F. 204, 20 F. 209, 19 F. 218, 17 F. 220, 10 F. — 8, 3 F 19, 15 (e Laberio 134 sq. Rib.) 98, 17 F. 214, 6 F. — 96, 18 F. 212, 26 F. — 53, 12 F. 131, 5 V. 164, 19 F. 207, 25 F. — 18, 23 F. 42, 4 F. 61, 23 F. 161, 3 F. 195, 17 F. 197, 16 F. 203, 15 F. 206, 15 F. 213, 4 F. 215, 5 F.

Alias laudes permultas Sallustius idcirco a Frontone meretur, quod figuris praecipue eis, quae ἀντίθετα vocantur, libros suos commode adornarit.[1]) cf. p. 107, 21—23 'figuras etiam — illum (Sallustium) historiae — congruentes adhibuisse: Sallustium antithetis honeste compositis usum.'

Cum igitur Sallustius Frontoni videatur esse rerum auctor praestantissimus, minime quidem mirum est, quod ex eo atque maxime quidem ex Jugurtha locos longiusculos exhibet[2]) scilicet ut appareat, qualis historici de duce aut exercitu narratio esse debeat. Attamen Fronto ipse in eis, quae rogante[3]) Vero in principiis historiae de bello Parthico composuit, stilum quidem Sallustii se didicisse, rectam scribendae historiae rationem se non didicisse satis ostendit.[4])

Permotus enim impenso erga Verum amore ea, quae sub hoc duce Romani bene gesserant, non solum auxit et amplificavit, sed etiam solius Veri laudi bellicae attribuit, quamquam hic, cum consules militia defatigarentur, Antiochiae degebat vitam luxuriosam desidiaeque deditam.

His fere exposuimus Frontonis de Sallustio sententiam;

---

[1]) Atque re vera contraria Sallustii Frontoni permultum placuisse ex studio conicere possumus, quo ipse ea imitatur. cf. p. 8, 2 F. 38, 14—15 F. 46, 15—16 F. 53, 12 F. 58, 22—24 F. 59, 2 F. 98, 6 F. 105, 24 sq. F. 113, 11—16 F. 114, 1—5 F. (cf. Klussmannum l. c. p. 54) 117, 13 V. 122, 3 F. 124, 7 F. 130, 6 V. 143, 19 F. 152, 17 F. 188, 12—24 F. 204, 20 F. 208, 1 F. 213, 1 F. 215, 5 F. 218, 16 F. 228, 10 F. 233, 11 F. 235, 19 F. 238, 1 F.

[2]) cf. p. 108, 17 sqq. = Jug. 6. 1; 109, 4 sqq = Jug. 17. 5—6; 20. 2; 28. 5; 44. 1—2 et 4—5; 45. 1. Praeterea Sallustius exscribitur his locis: p. 110, 16 sqq. = Cat. 25. 1—3; 31. 3. 153, 22 = Cat. 14. 2; 107, 23 = Cat. 5. 4; 162, 6 = hist. I. 15 K. Confer etiam 126, 4 et hist. IV. 19; 126, 5 et hist. III. 1; 126, 6 et Jug. 24; 129, 3 et Jug. 44. 3.

[3]) cf. ad Ver. Imp. II. 3. p. 131—132, 15. Qua epistula Verus magistrum pluribus edocet, quomodo bellum Parthicum describendum sit, ut res a se gestae quam gloriosissimae evadant.

[4]) Quamquam Niebuhrius, eminentissimus ille Frontonis editor, fortasse plus aequo rhetorem castigat. cf. edit. Berol. p. 239 med. Certe Fronto in hoc opusculo etiam Livium, quod postea videbimus, imitatione expressit. cf. p. 32 sq.

proximum est, ut singula colligamus, quae Frontonem ex Sallustio deprompsisse verisimillimum est. Atque de sententiis et antithetis iam diximus; praeterea autem Sallustium spectant haec:

Pag. 204, 7 F. 'vagi, palantes'. Jug. 18. 2 (cf. Nieb. p. 241); similiter Liv. XXI. 61. 2.

Pag. 132, 14 V. 'tantae (res gestae) autem videbuntur, quantas tu eas videri voles'. Cat. 8. 4 (cf. Alanum in add. edit. Nab. p. 294).

Pag. 155, 13 F. 'parum eloquentiae, sapientiae nihil'. Cat. 5. 4.

Pag. 35, 9 M. 'faucibus urgebat'. Cat. 52. 35. (cf. Ehrenthal. l. c. p. 37 adn. 77.)

Pag. 195, 12 F. 'globus equitum Romanorum'. Jug. 85. 10 globus nobilitatis; hist. III. 78 K; ex Sallustio hanc vocem eodem sensu receperunt Livius et Tacitus.

Pag. 214, 14 F. intutus. hist. (orat. Phil. c. Lepid.) I. 51. 17; hoc quoque verbum Livius et Tacitus assumpserunt ex Sallustio.

Pag. 40, 23 M. et 41, 22 F. consultor = qui consilium dat. Jug. 64. 5; 85. 47; 103. 7; hist. (or. Lic. ad pleb.) III. 82. 15; hist. (or. Phil. c. Lep.) I. 51. 1; hist. inc. 57; est vox vulgaris, quae in proverbio fuit usitata cf. Varr. r. r. III. 2. 1. Gell. IV. 5. 5; ex Sallustio desumpsit Tac. ann. VI. 16, 9 H.

Pag. 232, 25 F. 'nullum ergo inter bonos ac malos fortunarum discrimen erit?' Cat. 52. 22.

Restat, quod tertio prioris commentatiunculae nostrae loco tractandum nobis proposuimus, ut explicemus, qualis fuerit Frontonis existimatio de poetis vel quosnam ex eis laude atque aemulatione habuerit dignissimos. Cum Fronto oratorum tantummodo Catonem et Gracchum et Sallustium (hunc videlicet in orationibus historiis insertis) in verba maxime idonea et propria operam navasse existimet, poetarum iam multo plures ei rei studuisse praedicat, atque omnium quidem maxime Plautum et Ennium, praeter hos etiam Lucretium, Accium, Laberium, Caecilium, Naevium. cf. p. 62,

18—20. Sane ex his nonnisi quattuor priores a Frontone alumno ad lectitandum diserte commendantur, cf. p. 224, 7—9 'ut te (Marcum) studium legendi incessisset, aut te Plauto expolires, aut Accio expleres, aut Lucretio delenires, aut Ennio incenderes'. Attamen, quod de his quattuor diximus, id etiam de reliquis poetis loco modo citato (p. 62, 18—20) laudatis affirmare possumus, immo eis quoque, qui in singulis tantum verborum generibus elegantes fuerunt, de Novio, Pomponio, Atta, Lucilio. cf. p. 62, 20—24 F. 'nam praeter hos partim scriptorum animadvertas particulatim elegantis, Novium et Pomponium — in verbis rusticanis et iocularibus ac ridiculariis, Attam in muliebribus — Lucilium in cuiusque artis ac negotii propriis'.

Adhortatur enim Fronto discipulos, ut in poesim veterem praesertim in comoedias, atellanas, togatas diligenter incumbant, quibus postremis Novium et Attam significari luculenter apparet. cf. p. 106, 3 sq. F. 'sententias arriperetis — vel comes ex comedis, vel urbanas ex togatis, vel ex Atellanis lepidas et facetas' p. 34, 13 sq. M. 'feci tamen mihi (ita recte Maius cf. Studemundum l. c. p. V. s. f.) — excerpta — inibi sunt et Novianae Atellaniolae' cf. Hertz: annal. phil. suppl. 7. p. 23 adn. 53. Lucilium vero Fronto appellat 'gracilem' p. 114, 1. Quoniam hi poetae, quos supra laudavimus, omnes rhetori videntur esse elegantissimi, et ipse ex eis et discipuli eius exemplum secuti versiculos aut singula verba depromunt ad ornatum epistulis afferendum. Quamquam Fronto eiusmodi ornatum de ludicro tantum litterarum genere praecipit, [1]) tamen etiam in epistulis eum satis diligenter usurpavit.

---

[1]) cf. p. 212, 10 'fabulae deum vel heroum tempestive inserendae, item versus congruentes et proverbia accommodata et non inficete conficta mendacia'. Omnino in epistulas Frontonianas quadrat Julii Victoris praeceptum in arte rhetorica C. XXVII. (Halm. rhet. lat. min. p. 448, 29) quod apte revocavit Ehrenth. l. c. p. 32 adn. 72, nam praeter versus etiam graeca epistulis saepius inserta sunt.

cf. p. 9, 18 M. 'non enim ille profecto εἰκοστῷ demum ἔτει venisset εἰς πατρίδα γαῖαν' e. q. s.

Atque iam supra monuimus (p. 12) Frontonem plurima verba mutuatum esse a Plauto, quem diserte versus aut vocabuli auctorem laudat his locis: p. 27, 6 (cf. Ehrenth. l. c. p. 33 adn. 74); p. 64, 18; 156, 1 (cf. Studemundum l. c. p. XXXII; M. Hertz Mus. Rhen. XXIX p. 367; Baehrens Fleckeis. annal. vol. 105 p. 634) p. 224, 17; 225, 1 (cf. O. Seyffert Philol. XXIX p. 398.) Studem. ap. Klussm. l. c. p. 71 adn. α.)

Multo autem plura Fronto tacite ex Plauto deprompsit, quae iam magnam partem collegerunt editores et Studemundus l. c. p. XXX adn. 1 et Ehrenthalius l. c. p. 36 sq. Addi autem possunt haec:

Pag. 65, 5 F. servitutem servire alicui (apposito dativo personae, cui quis servit) Aul. IV. 1, 6; Capt. II. 2, 84; II. 3, 31; Trin. II. 2, 21. 23; similiter Mil. II. 1, 19.

Pag. 101, 14 F. pipulum. Aul. III. 2, 32; Mil. II. 6, 101. cf. Varr. L. L. VII § 103 M.

---

p. 29, 15 M. 'Polemona ante hoc triduum declamantem audivimus, ἵνα τι καὶ περὶ ἀνθρώπων λαλήσωμεν'.

p. 39, 7 M. 'Tum demum θαρσήσω τοῖς βεβουλευμένοις, cum fuerint ab illo comprobata'.

p. 47, 7 F. 'Τὴν δὲ ὅλην τῶν εἰκόνων τέχνην alias diligentius et subtilius persequemur'.

p. 105, 3 M. 'quae me lectio extollat et diffundat ἐκ τῶν κατειληφυιῶν φροντίδων'. e. q. s.

p. 179, 16 F. 'ut sit ῥητόρων ἄριστος, quoniam quidem Aquila appellatur'.

p. 192, 5 F. 'οἱ γὰρ φίλτατοι ἄνδρες conciliaverunt eum mihi'.

Praeterea vide p. 10 M. 11 M. 13, 15 M. 14, 1 M. 24, 18 F. (proverbium ut p. 13, 4 F. 252, 4 M.; fabulae contra epistulis insertae sunt p. 51, 9 F. 58, 15 F. 149, 14 F. 154, 14 F. 228, 5 F.) pergo in enumerandis graecis: p. 26, 21 M. 28 M. 29 M. 30, 15 sq. M. 34, 2 M. 45, 4 sq. M. 46 F. 47, 1 sq. F. 49, 12 M. 50, 16 F. 54 F. 55 M. 57, 7 F. 68, 20 M. 71, 2 sq. M. 76, 2 M. 82, 19 F. 82, 25 M. 84, 2 sq. F. 84, 7 sq. M. 93, 1 sq. M. 94, 13 M. 95, 26 F. 97, 3 F. 106, 22 M. 118, 13 sq. F. 132, 10 V. 147, 1 sq. F. 149, 1 F. 152 F. 154, 1 sq. F. 159, 8 sq. F. 186, 5 F. 230, 15 M. 231, 4 M.

Fronto Marcum, quod graeca latinis immiscuerit, collaudat p. 12, 11—15. cf. etiam Teuffel. R. L.[4] § 355. 7.

Pag 106, 1 propinque (in marg.) Truc. II. 6, 18; II. 7, 21; hoc adverbium rursus occurrit apud extremae latinitatis scriptores cf. Maxim. Taurin. serm. 1; Boethius Arist. praedic. I. p. 132 [1]) edit. Basil. a. 1570.

Pag. 115, 3 F. superfio. Epid. III. 2, 10; Mil. II, 4, 3; Stich. IV. 2, 12; Trin. II. 4, 109; Colum. XII. 1. 6; Prud. contra Symm. II. 983.

Pag. 147, 8 F. robiginosus. Stich. I. 3, 75; Mart. V. 28, 7; Apul. de deo Socr. 5.

Pag. 161, 1 F. interpolis. Most. I. 3, 117; Plin. n. h. XIX. 29; XXIX. 11; Dig. 18. 1. 45. (interpolus)

Pag. 165, 3 F. impos. Cas. III. 5, 7; Trin. I. 2, 94; Accius 287 R.; Sen. Agam. 118; Apul. de deo Socr. 3; Auson. idyll. 10, 274.

Pag. 181, 13 F. recte provenire (de pariente) Truc. II. 6, 35.

Pag. 183, 9 F. frustra esse = spe falli. Amph. III. 3, 20; Bacch. IV. 7, 41; Merc. III. 1, 30; Mil. V. 1, 29; Pers. I. 3, 60; Sall. Jug. 85. 6. cf. Dietsch. ad h. l. edit. min.

Pag. 192, 17 F. vel patrono vel praecatore. Pseud. II. 2, 12; substantivum precator his locis antiquorum scriptorum reperitur: Plaut. Asin. II. 4, 9; Epid. V. 2, 21; Ter. Heaut. V. 2, 23; Phorm. I. 2, 90; elegantes auctores voce abstinuerunt.

Pag. 205, 3 F. impiare. Rud. I. 3, 7; excepto Seneca (Phaedr. 1195) apud quem participium exstat, hoc verbum apud recentissimos demum scriptores rursus invenitur cf. Apul. met. I. 18; III. 3; Min. Fel. 25, 6; Pacat. paneg. Theodos. 43; Prud. perist. X. 88; XIV. 36; hymn. ante somn. 54.

Pag. 252, 9 M. concastigare. Bacch. III. 3, 93; V. 2, 56; Trin. I. 1, 4.

Pag. 137, 3 F. apicula. Curc. I. 1, 10; praeter Plautum

[1]) Adiecimus recentissimos quoque scriptores; atque omnino et in hac et in ceteris quaestiunculis de vocabulorum Frontonianorum origine, quo clarius verborum aetas atque indoles appareret, plerumque omnes, quibus occurrunt, locos attulimus. cf. quae diximus p. 13 adn. 1.

solus Plinius n. h. VII. 85 hoc deminutivo ante Frontonem usus est; post Frontonem usurparunt Ambros. cant. cantic. 4. 30, 11; hexaem. 5. 21. 70; Augustin. ep. 173. 8; Priscian p. 107, 13 K. cf. 242, 4 K.

Pag. 157, 1 F. argentiolus. Rud. IV. 4, 125; schol. Juv. 14, 291 (substantiv.)

Paulo minus quam Plautum Fronto expilavit Ennium, etsi eundem vel magis Plauto verbis inquirendis studuisse praedicat. cf. p. 62, 18. Sane multis quidem locis eius mentionem facit [1]) atque versiculis eius epistulas adornat, qua re effectum est, ut Frontoni soli nonnulla fragmenta Enniana debeamus; (cf. Vahl. p. 4. 13. 145. 179); sed in universum Frontonis vocabulorum copia cum lexico Plautino magis congruit quam cum Enniano. Itaque haud tot Ennii imitationes proponi possunt, quam in Plauto factum est.

Atque haec quidem adnotavimus:

Pag. 86, 25 M. 'ius et aequom'. Enn. trag. 224.

Pag. 238, 6 F. 'secundo rumore populi'. Enn. ann. 260; praeterea legitur haec dictio poetica apud Cic. de div. I. 16. 29 = trag. inc. inc. 89 Ribb.; Verg. Aen. VIII. 90; Hor. ep. I. 10, 9; Fenest. apud Non. 385, 17; Sueius ap. Macr. sat. VI. 1. 37 = Lucil. ed. L. Müll. p. 311; Tac. ann. III. 29, 13; Apul. met IX. 24.

Pag. 66, 24 M. 'oppidum anticum'. Enn. trag. 324.

Pag. 235, 2 F. 'si noctis, si lucis id tempus erit'; similiter Enn. ann. 412.

Quae praeterea ex Ennio fortasse Fronto hausit, ea tum proferentur, cum omnino, quae ex priscae latinitatis auctoribus decerpta sunt, recensebimus.

Iam aggredimur ad reliquos poetas veteres a Frontone

[1]) cf. p. 12, 16 F; 20, 4 F; 54, 19 F (loquitur de oratione Ennii verbis exornanda) p. 60, 28 M. cf. Haupt. op. II. p. 349; p. 61, 17 (Sota Ennianus) p. 66, 3 F; 105, 4 M. (est sermo de excerptis Ennianis) p. 114, 2 F. (appellatur Ennius 'multiformis') 149, 19 F; 217, 6 sq. (laudatur fragmentum ex Ennii Telamone) p. 224, 9 F. (Marco Ennii lectionem commendat).

propter verborum electionem laudatos Lucretium, Accium, Laberium, Naevium, Caecilium, Novium, Lucilium. cf. p. 62, 19—24. Quam rem iam supra tetigimus Frontonisque de Lucilio sententiam aperuimus. Hoc autem loco id primum monendum est, eos non toties celebrari neque tacite in verbis usurpandis spectari, quoties Plautum et Ennium.

Atque plurimum quidem eorum Frontoni arrisisse videntur Lucretius et Accius, qui una cum Plauto et Ennio commendantur Marco ad legendum. cf. p. 224, 8—9 qui locus iam supra nobis citandus erat. Separatim vero laudatur Lucretius, cum appellatur 'sublimis' p. 114, 1; Accius, cum dicitur 'aequalis' (ita corr. Klussm. l. c. p. 54) cf. p. 114, 2; Lucretium denique Fronto etiam excerpsit in usum Marci. cf. p. 105, 4; eundem autem, quod primi viderunt Berolinenses, exscripsit p. 148, 16 F. 'nullius ante — trita solo' cf. Lucr. I. 925; IV. 1.

Quod ad Laberium et Naevium attinet, prior quidem transcribitur tribus locis, quorum duobus de amore, tertio, qui nondum sanatus est, de dictabolariis est sermo. cf. p. 19, 15 F; 30, 18 sq. M; 156, 5 F; Naevium autem Marcus laudat, cum de regiorum filiorum assentatoribus loquitur cf. p. 33, 24; idem Naevius a Marco iterum praedicatur p. 27, 17, ubi alumnus pluribus gaudium describit, quo magistri litteris affectus sit.

Iam Caecilius et Novius singulis tantum locis diserte verbi aut versus auctores commemorantur cf. p. 31, 12 M; 69, 20 M. Tacite autem Fronto Caecilium imitatus est p. 237, 20 F. 'commemoramentum' cf. Caecil. com. 166; p. 133, 14 F. 'incursim' cf. Caecil. com. 46; priorem imitationem iam vidit Studemundus l. c. p. XXX. adn. 1. s. f.

Quae praeterea vocabula auctore non laudato ex his fortasse poetis Fronto mutuatus est, ea statim dabimus.

Sed antea disseremus de Frontone imitatore Terentii, quam quaestionem consulto posuimus loco postremo. Cum enim nusquam apud Frontonem Terentii nomen occurrat nedum laudibus efferatur, vix opinari possis Terentium fuisse Frontoni dictionum aut vocabulorum fontem. Attamen

procul dubio Terentius ei ante oculos observatus est his locis:

Pag. 16, 3 F. 'rem omnem dilapidare'; similiter Ter. Phorm. V. 8, 4; com. inc. inc. 55 Ribb.; Ps. Cic. ep. ad Octav. 3; eodem sensu hoc verbum rursus reperitur apud recentissimae latinitatis scriptores praecipue iurisconsultos.

Pag. 42, 1 F. conviciis protelare; similiter Ter. Phorm. I. 4, 35; praeterea antiquorum auctorum protelandi verbum usurparunt: Turpil. 91 R.; Sisenn. hist. fr. 27 et 69 (Peter). elegantes verbo abstinuerunt, denuo apud recentissimos demum invenitur.

Pag. 54, 14 F. 'ubique phaleris utendum' (translate de ornatu dicendi) similiter Ter. Phorm. III. 2, 15; eadem translatio nonnisi labente latinitate deprehenditur cf. Symm. ep. I. 83 (89); Ambros. de off. min. I. 12. 44; Martian. Cap. III. § 221; Sidon. ep. I. 9; Fulgent. mythol. 1. 24.

Pag. 111, 23 F. et 138, 3 F. summus = intimus amicus Ter. Adelph. III. 2, 54; Eun. II. 2, 40 (Phorm. I. 1, 1).

Pag. 177, 24 F. 'fac periculum in litteris'. Ter. Eun. III. 2, 23 (cf. Mai p. 282 edit. 1823).

Atque haec quidem, quantum nos iudicare possumus, Fronto ex Terentio repetivit. Iam nunc ea recensituri sumus, quae omnino ex priscae latinitatis scriptoribus fluxerunt; sunt autem haec:

Pag. 18, 26 F. pulpamentum. Plaut. saepius: Mil. III. 1, 59; Pseud. IV. 1, 37; Stich. V. 4, 31; Ter. Eun. III. 1, 36; Cic. Tusc. V. 32. 90; Plin. n. h. IX. 48; Diocletian ap. Vopisc. Numer. 14. 3.

Pag. 30, 8 M. pausam facere. (233, 16) Plaut. Poen. II. 1, 13; Enn. ann. 572; substantivum pausa exstat ap. Plaut. Pers. V. 2, 37; Rud. IV. 6, 1; Trin. I. 2, 150; Enn. ann. 348; sat. 11; Acc. trag. 290 R.; Claud. Quadrig. fr. 10 (Peter); Lucr. I. 747; II. 118; III. 858; III. 928; IV. 1108 (Bern.); Gell. XIX. 5. 4; Iul. Valer. res gest. Alex. II. 1.

Pag. 61, 4 M. subservire. Naev. ap. Front. ad M. Caes. II. 10 = com. 112 R.; Plaut. Men. V. 2, 15; Ter. Andr. IV. 3, 20; Apul. de dogm. Plat. I. 13; Donat. comm. in

Ter. Andr. IV. 4, 4; Pacat. pan. Theod. 18; Augustin. ep. 154. 1.

Pag. 122, 8 F. comprecari. Plaut. Amph. II. 2, 108; Mil. II. 4, 41; Pacuv. 365 R.; Ter. Adelph. IV. 5,65 et 70; aurea litterarum aetate poetae tantum hoc verbo usi sunt: Catull. 64, 191 B.; Ovid. met. X. 640; XII. 285; XIV. 379; tum legitur ap. Sen. ep. 99. 16; Med. 743; Plin. ep. IV. 25. 2; paneg. 2. 8; Apul. met. IV. 1; Mar. Victorin. p. 126, 32 K.

Pag. 133, 17 F. reparcere. Plaut. Truc. II. 4, 25; Lucr. I. 667; Symm. ep. 1. 39.

Pag. 147, 14 F. sycophanta (vocabulum comicorum maxime proprium) Plaut. Amph. I. 3, 8; Curc. IV. 1, 2; Men. II. 1, 35; II. 2, 10; V. 9, 28; Poen. I. 2, 162; V. 2, 72; Trin. III. 3, 86; IV. 2, 50; IV. 2, 116; V. 2, 15; Pseud. IV. 7, 100 et 103; Ter. Andr. IV. 5, 20; V. 4, 16; Heaut. prol. 38; Apul. met. VII. 12; Prudent. apotheos. praef. 25 Obb.

Pag. 102, 19 F. defrudare. Plaut. Asin. I. 1, 80; Men. IV. 3, 12; Pseud. I. 1, 91; Trin. II. 4, 11; Ter. Adelph. II. 2, 38; Phorm. I. 1, 10; Apul. de mag. 82; Sidon. ep. II. 2; cf. Ritschelium: parerg. Plautin. et Terent. p. 540 sq. qui solam verbi formam per u litteram comoediae fuisse propriam existimat.

Pag. 215, 3 F. esse in proclivi. Plaut. Capt. II. 2, 86; Ter Andr. IV. 2, 18; Ps. Sall. de rep. ord. II. 8. 6.

Pag. 208, 1 F. obfirmare. Plaut. Amph. II. 2, 14; Bacch. V. 2, 82; Merc. prol. 81; Pers. II. 2, 40; Stich. I. 2, 11; Pacuv. 293; Ter. Eun. II. 1, 11; Heaut. V. 5, 8; Hec. III. 5, 4; Acc. trag. 372; florente latinitate singulis locis legitur ap. Cic. ad Attic. I. 11. 1. (offirmatior); Catull. 76, 11 B.; tum ap. Plin. ep. VII. 27. 8; Suet. Tib. 25; Apul. met. VII. 28; X. 10; Tertull. de anima 24; Iul. Valer. res gest. Alex. M. I. 35; I. 48; pluribus locis in Vulgata.

Pag. 185, 1 F. (in marg.) repudium renuntiare. Plaut. Aul. IV. 10, 53; Ter. Phorm. IV. 3, 72; ('repudium re-

mittere' antiquorum hi dixerunt: Plaut. Aul. IV. 10, 69; Ter. Phorm. V. 8, 36; Lucil. sat. XXIX. 54.)

Pag. 38, 5 F. collus. Naev. com. 115; Plaut. Amph. I. 1, 289; Capt. II. 2, 107; IV. 2, 122; Caecil. 56 et 215; Cato 71, 1; Accius 302; Lucil. sat. VII. 27; Varr. sat. Men. p. 219, 3 R.; Calvus ap. Quintil. I. 6. 42; Gargil. de cura boum § 10.

Pag. 63, 2 F. cluere; vox si ita dicere licet Plautinissima (Gell. III. 3. 4) Plaut. Amph. II. 2, 16; Bacch. IV. 9, 1; Capt. III. 5, 31; Epid. II. 2, 5; Men. IV. 2, 6; V. 2, 101; Poen. V. 4, 20; Pseud. II. 1, 16; IV. 1, 12; Rud. I. 5, 27; Trin. II. 2, 28 et 31; II. 4, 95; III. 1, 19; Enn. ann. 4; trag. 180; com. 1; Pacuv. 194; Accius trag. 463 et 533; Acc. Brut. 39; Lucil. sat. XXX. 104; Varr. sat. Men. p. 183, 7 R.; Lucr. I. 119. 449. 480. 580; II. 351. 525. 791; III. 207; IV. 46; Tertull. de pall. 3.

Pag. 207, 7 F. et 217,4 F. fatisci (depon.) Pacuv. 154; Accius trag. 330; Varr. ap. Non. p. 479, 13; Lucr. III. 458; V. 308.

Pag. 144, 19 F. solox. Titin. 3; Lucil. sat. III. 15; auctores elegantis latinitatis vocem spreverunt; denuo occurrit recentissimis litterarum temporibus velut ap. Tertull. de pall. 4 (substantiv.); Symm. ep. I. 1.

Pag. 229, 19 F. exaptus. Lucil. sat. XVI. 14; Varr. ap. Plin. n. h. XXXVI. 92.

Pag. 10, 13 M. et 207, 18 F. expergitus. Lucil. sat. III. 56; Valer. Antias lib. II. = p. 239, 11 Peter; Lucr. III. 927; Apul. met. II. 14; II. 26; IV. 22; de mag. 43; apud eundem exstat adverbium duobus locis. cf. Fr. Neue: lat. Formenl.[1] II. p. 453.

Pag. 69, 19 M. consudare. Plaut. Pseud. II. 2, 71; Cato r. r. 96, 1; Colum. XII. 7. 7.

Pag. 69, 18 M. praegnas. (pro praegnans) Naev. com. 125; Plaut. Amph. II. 2, 91; Truc. I. 2, 95; II. 4, 35; IV. 3, 37; Ter. Hec. IV. 4, 18 et 19; Macrob. sat. III. 11. 10.

Pag. 75, 12 M. animos tollere. Plaut. Truc. II. 8, 10; Lucil. sat. XXVII. 11; Sall. Iug. 101. 7.

Pag. 186, 13 F. et 208, 16 F. male mulcare. Plaut. Bacch. IV. 9,10; Mil. II. 2, 8; Most. IV. 2, 23; Trin. IV. 2, 142; Truc. IV. 4, 5; Ter. Eun. IV. 7, 4 (haec Plauti et Terentii exempla congessit Studemundus l. c. p. XXX. adn. 1) addo ex antiquis litteris Acc. trag. 85.

Pag. 117, 19 F. 'spes opesque.' Ter. Phorm. III. 1, 6; Adelph. III. 2, 33 cf. Stud. l. c. p. X. et Ehrenthal l. c. p. 44 adn. 84; addo eandem locutionem etiam a Sallustio esse adamatam cf. Iug. 10. 1; 114. 4; hist. III. 1 K. (ep. Cn. Pomp. ad senat. 2.)

Pag. 224, 14 F. portisculus. Plaut. Asin. III. 1, 15; Enn. ann. 233 Vahl.; Cato p. 66, 5 Iord. cf. Studemundum l. c. p. XXX. adn. 1; addo Laber. com. 53.

Pag. 219, 1 F. et 235, 6 F. 'in aetate agunda.' Plaut. Amph. II. 2, 1 cf. Ehrenthal l. c. p. 36; addo: Enn. ann. 370.

Pag. 65, 8 F. marculus. Lucil. sat. fr. inc. 117; Mart. XII. 57, 6.

Pag. 138, 13 V. docta dicta. Plaut. Asin. III. 1, 20; Men. II. 1, 24; Trin. II. 2, 98; Enn. ann. 274; Lucr. II. 987; V. 113.

II.

De Frontone recentiorum imitatore.

Perlustratis animo eis, quae Fronto ex antiquis repetivit, iam ad alteram dissertationis partem accessimus, qua de Frontone recentiorum imitatore est disputandum. Profecto facile quispiam ex nimiis apud Frontonem veterum praedicationibus concludere possit, eum cascis tantum vocibus et dictionibus studuisse. Attamen haud pauca praesto sunt, quae repugnent. Atque potissimum quidem ad Frontonis recentiorum expilationes virorum doctorum animos advertit

M. Hertz: Renaiss. p. 47 not. 76 et p. 48 not. 77. Praeter Hertzium alii quoque nonnulla protulerunt, quae suo loco commemorabimus. Sed accuratius atque certo quodam ordine in hanc quaestionem nemo adhuc eorum, qui Frontoni operam navarunt, incubuit.

Quare nos operae pretium esse duximus, ut, quid Fronto de eorum, qui post Ciceronem floruerunt, scriptorum indole censuisset quidque ex eis decerpsisset, diligentius examinaremus, non vero ita, ut difficilem hanc atque amplam materiam pertractaremus, sed ut tractàre inciperemus. Cuius disputationis hunc ordinem tenere nobis placuit, ut primum de Cicerone, tum de Augusteae, postremo denique de argenteae aetatis auctoribus dissereremus.

Atque ordiamur a Cicerone, de quo Frontonem haud benevole nec commode iudicasse, quod verbis insperatis abstinuisset, iam supra cognovimus. Quod iudicium in hac accuratiore quaestione comprobatum atque novis argumentis auctum reperiemus. — Sane adeo Fronto non desipit, ut Ciceronem, cuius libros studiosissime se lectitasse affirmat, oratorem politum et limatum esse neget.[1]) Id quoque concedit eum figuras orationibus accommodatas imprimis repetitionem probe et scite usurpasse.[2])

Nec non orationes ipsae Frontonis laudem merentur. Atque excellenter quidem scripta ei videtur oratio pro Sulla,

---

[1]) cf. p. 63, 1—5 'Hic tu fortasse iandudum requiras, quo in numero locem M. Tullium, qui caput atque fons romanae facundiae cluet. Eum ego arbitror usquequaque verbis pulcherrimis elocutum et ante omnis alios oratores ad ea, quae ostentare vellet, ornanda magnificum fuisse.'

p. 63, 9—13 'Itaque comperisse videor, ut qui eius scripta omnia studiosissime lectitarim, cetera eum genera verborum copiosissime uberrimeque tractasse, verba propria, translata, simplicia, conposita, et quae in eius scriptis ubique dilucent, verba honesta, saepenumero etiam amoena.'

[2]) p. 107, 21 sqq. 'Figuras etiam — hunc (Ciceronem) orationi congruentes adhibuisse — Tullium vero commotissima et familiari oratoribus figura usum, quam scriptores artium ἐπαναφορὰν vocant.' (Sequitur exemplum repetitionis ex or. pro Coel. c. 6.)

praecipue ea pars orationis, qua de vita acta verba fiant, quam rhetor — bene attendas quaeso — cum sua ipsius oratione comparari vult, quamquam ilico modeste addit: 'non ut par pari compares, sed ut aestimes nostrum mediocre ingenium quantum ab illo eximiae eloquentiae viro abfuat.' cf. p. 184, 2 sq.

Praestantissimam vero omnium esse existimat orationem de imperio Cn. Pompei, in qua Ciceronem facundissime omnium et Romanorum et Graecorum oratorum laudatoris munere functum esse ait, ut ipsi quidem Pompeius iam magis Ciceronis laudibus, quam suis meritis videatur cognomine Magni exornatus. cf. p. 221, 19—222, 2.

At antiquarius aegre fert, ut supra diximus, quod Cicero in verba 'insperata' praeter auditorum opinionem ex vetustis auctoribus elicienda parum vel potius nihil laboris consumpserit.[1]) Cum hunc dictionis splendorem et praestantiam quae credit in epistulis Ciceronis minus desideret quam in ceteris eius scriptis, eas quidem — quod mireris — disertissimas ducit atque omnium maxime legendas alumnis commendat.[2]) Quibus quo maiorem usum praeberent, cognitu utilissima ex eis excerpsit.[3])

Marci vero Ciceronis epistularum studium quantum fuerit, ex duobus locis intelligitur, quorum priore epistula quadam Ciceronis 'mirifice' affectum se ait, altero autem ad epistularum lectionem instituendam Frontonis consilium deposcit.

---

[1]) cf. p. 63, 5—9 'Verum is mihi videtur a quaerendis scrupulosius verbis procul afuisse vel magnitudine animi, vel fuga laboris, vel fiducia, non quaerenti etiam sibi, quae vix aliis quaerentibus subvenirent, praesto adfutura.' Alterum locum huc pertinentem (p. 63, 13—21) iam supra citavimus p. 4 adn. 2.

[2]) cf. p. 107, 15—17) 'Omnes autem Ciceronis epistulas legendas censeo, mea sententia vel magis quam omnes eius orationes. Epistulis Ciceronis nihil est perfectius.'

[3]) cf. p. 107, 8—11 'Memini me excerpsisse ex Ciceronis epistulis ea dumtaxat, quibus inesset aliqua de eloquentia vel de philosophia vel de rep. disputatio: praeterea siquid eleganti aut verbo notabili dictum videretur, excerpsi.'

cf. p. 52, 2 M. (Cic. ad Att. XV. 1 b. 2) et p. 107, 2—4 M. 'Ciceronis epistulas, si forte electas, totas vel dimidiatas habes, inpertias, vel mone quas potissimum legendas mihi censeas ad facultatem sermonis fovendam'. Diserte igitur Marcus rogat, ut magister eas potissimum epistulas eligat, quas ad sermonem excolendum aptissimas existimet. Sane ad hanc rem perficiendam Frontoni quidem necesse erat, epistulae idoneae viderentur, quarum sermo quotidianus ad Catonis linguam propius accedere videri poterat, quam elaboratae illae atque perpolitae orationes.

Attamen cum tantopore Fronto Ciceronis epistulas probet et amplexetur, has laudes haud ita magni pendemus. Nam primum compluribus locis vox 'tullianus' ita usurpatur, ut non sine aliqua auctoris contemptione id fieri videatur. cf. p. 23, 8—10 F. 'Nam epistulae tuae, quas adsidue scribsisti, mihi satis ostendunt, quid etiam in istis remissioribus et tullianis facere possis'. cf. praeterea: p. 25, 13 F; p. 76, 8 M. (Nab.); p. 50 adn. 4 s. f. edit. Nieb.

Deinde etiam ubi Ciceronis eloquentiam approbare videtur eumque cum Catone et Graccho et Sallustio componit, si locos diligentius examinaveris, eam laudem non ex animi sententia tributam esse deprehendes. Fronto enim idcirco tantum Ciceronem una cum priscis auctoribus celebrat, ut eius auctoritate Marcum ad eloquentiae studium reducat idque omnino tutum a philosophorum despicientia praestet. cf. p. 145, 9—11 F; 149, 21 F.

Paulo minus perperam quam Fronto Marcus de Cicerone iudicat. Nimirum ipse quoque Catonem oratorem Cicerone praestantiorem habet, attamen ab eo Cicero statim post Catonem ducitur facundissimus, cum a Frontone omnibus locis quartus demum post Catonem, Gracchum, Sallustium numeretur. [1])

---

[1]) cf. p. 105, 1 M. quo ex loco evincitur Marcum in enumerandis scriptoribus temporis rationem non habuisse, Gracchum enim ponit loco postremo. Cf. etiam p. 93, 8 M; de Frontone adi hos locos: p. 145, 9; 149, 21; 114, 5—6.

Quoniam Frontonis de Cicerone sententiam pertractavimus, iam singula compositnri sumus, quae ex Cicerone desumpta esse vel saltem eum spectare videntur. Proferri autem possunt haec:

Pag. 102, 5 F. 'Ante gestum, post relatum' Cic. de orat. II. 69. § 280.

Pag. 127, 5 F. 'Summum eloquentiae genus est de sublimibus magnifice, de tenuioribus frugaliter dicere' (in marg.) Cic. orat. c. 29 § 100 et 101.

Pag. 147, 14 F. 'Anaxagorae non Alexini sycophantae auditor' (Pericles) Cic. orat. 4. 15; de orat. III. 34. 138.

Pag. 13, 4 F. 'en cum quo in tenebris mices' idem proverbium est ap. Cic. de off. III. 19. 77.

Haec exempla editores adnotarunt; quibus addimus nonnulla alia:

Pag. 134, 20 F. 'si quid humanitus — mihi accidisset' Cic. phil. I. 4. 10. cf. Orelli inscr. 4354.

Moneo autem Ennium dixisse ann. 128 'si quid me fuerit humanitus'; Apuleius de mag. 100 habet: 'si quid eam hum. attigisset'.

Pag. 233, 1 F. 'diiudicatio' vocabulum, quantum vidimus, praeter Frontonem solius tantum Ciceronis exemplo comprobatum: de leg. I. 21. 56.

Pag. 211, 15 F. verba infercire. Cic. orat. 69. 231.

Pag. 168, 19 F. 'placem — ac mitigem' eadem synonymorum coniunctio legitur ap. Cic. phil. X. 3. 6; similiter: Mur. 31. 65; de orat. II. 58. 236; de finib. I. 14. 47; ad fam. I. 9. 26.

Pag. 32, 20 F. multi cibi esse. Cic. ad fam. IX. 26. 4; simillima locutio reperitur duobus locis ap. Suet. Galb. 22 (plurimi cibi); Aug. 76 (minimi c.)

Pag. 134, 15 F. 'mandasse et concredidisse' eandem ferme synonymorum coniunctionem habet Cic. Quint. 20. 62; eadem autem sententia est ap. Plaut. Asin. I. 1, 107 (120).

His de Frontone Ciceronis aemulatore disputatis iam eo delabitur oratio, ut inquiramus, quos scriptores Cicerone recentiores Fronto imitatus sit. Atque ut ab Augusteae aetatis

poetis incipiamus, Horatium[1]) quidem, quod pro certissimo poni potest, ante oculos habuit his locis:

Pag. 207, 15 F. 'post decisa negotia' Hor. ep. I. 7, 59; quam imitationem iam vidit Maius p. 319 edit. 1823.

Pag. 253, 8 M. 'versus tornare' (ex emendatione Buttmanni) Hor. A. P. 441.

Pag. 74, 21 F. 'crassa Minerva'; idem proverbium legitur ap. Hor. sat. II. 2, 3; 'pingui Minerva' dixerunt: Cic. de amic. 5. 19; Colum. praef. 1. 33.

Certe Fronto Horatio legendo imitandoque plus operae tribuit, quam ex loco quodam epistularum colligere possis, quo Horatium poetam memorabilem tantum appellat sibique propter hortos Maecenatianos suos non alienum. cf. p. 23, 16 F.

Multo autem magis miramur, ei etiam Vergilium, cuius nomen nusquam in epistulis Frontonianis deprehenditur, ante oculos obversatum esse. Etenim Maius recte monet, Frontonis illud p. 160, 15 (Tiberis) 'regnator undarum' scriptum esse ad imitationem Verg. Aen. VIII. 77 'corniger hesperidum fluvius regnator aquarum'. Idem fortasse alio quoque loco spectatur. Dicit enim Fronto, si recte supplevit Niebuhrius, p. 181, 6 F. ['sanguis] sincerus'; similiter ait Verg. Georg. IV. 285 'cruor insincerus'; quamquam non ignoro rem esse incertam, cum ex supplemento pendeat; adiectivum autem ipsum 'insincerus', quo ante Frontonem, quantum vidi solus Vergilius l. c. usus est, translate p. 52, 7 F. adhibetur; post Frontonem reperitur exempli gratia ap. Gell. V. 3. 7 et scriptores ecclesiasticos (Minuc. Felix, Cyprianus, Hilarius Ambrosius).

Cum tam exiguum Horatii Vergiliique imitationum numerum protulerimus, miramur profecto Antoninorum temporibus hominum iudicia adeo depravari potuisse, ut ei, qui primordia poesis romanae condiderunt, praeferrentur perfectissimis Augusteae aetatis poetis. Sed ita se res habet.

[1]) Sero cognovi Martini Hertz analecta ad carminum Horatianorum historiam III. Vratislaviae 1879 in quibus de Frontonis studiis Horatianis sermo est p. 4 et 5.

Quidquid litterarum eleganter et polite compositum erat, improbabatur et refutabatur. Hinc, opinor, intellegi potest, cur Plautus Frontoni videatur maxima laude dignus, at Terentii ne nomen quidem apud eum inveniatur. Displicuit enim cascorum verborum venatori, quod Terentius Plauti exemplum deserens sermonem et versus fabularum cultius et ornatius apparare studuerit; attamen, ut vidimus, nonnulla ab eo mutuatus est.

Sed redeamus ad scriptores Augusteae aetatis. Atque pro exploratissimo quidem affirmare possumus, Frontonem fuisse Livii expilatorem, cum Lucii Veri virtutes bellicas in principiis historiae describeret. Mentionem quidem Livii atque Taciti Fronto nusquam facit; sed ea res non obstitit, quominus non solum sententias, verum aliquoties etiam verba ex eis decerperet. Atque de Livio conferendi sunt hi loci:

Livius	Fronto
XXI. 4. 8. equitum peditumque longe primus erat. (Hannibal).	p. 207, 6 Primus ipse in agmine haud saepius equo vehi quam pedibus fatisci.
ibid. § 6. caloris ac frigoris patientia par.	ibid. v. 9. caput apertum soli et imbribus et grandini et nivibus — praebere.
ibid. § 6. cibi potionisque desiderio naturali non voluptate modus finitus; vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora.	ibid. v. 16. mensa sobria, victu in castris plebeio: vinum loci aquam temporis bibere: primam vigiliam facile vigilare, postremam iamdudum expergitus operiri.
ibid. § 7 multi saepe militari sagulo opertum humi iacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt.	ibid. v. 21. caespitem interdum ut torum incubans.
ibid. § 7 ea (quies) neque molli strato neque silentio accersita.	ibid. v. 22. somnum cepit labore paratum, non silentio quaesitum.

Eo certius imitationem statuas, quod omnes loci et Liviani et Frontoniani ex singulis capitibus deprompti sunt.

Praeterea ex Livio deprompta esse videntur haec:

Pag. 226, 2 F. magnis auctibus augere. Liv. XXIX. 27. 3; cf. etiam Ps. Sall. de rep. ord. I. 7. 4; Ebert. l. c. p. 11.

Pag. 178, 10 F. litterae laureatae. Liv. XLV. 1. 6. cf. Tac. Agric. 18; hist. III. 77.

Pag. 206, 13 F. desuetudo bellandi. cf. Liv. I. 19. 2 desuet. armorum.

Pag. 128, 20 F. et 205, 19 F. corniculum = donum militare. cf. Liv. X. 44. 5; eodem sensu exstat etiam apud Suet. de ill. gramm. 9; Aurel. Vict. vir. ill. 72, 3.

Pag. 124 med. F. per manus (von Hand zu Hand) Liv. V. 51. 4.

Pag. 204, 17 F. bellum bellare. Liv. VIII. 40. 1; eadem figura etymologica invenitur etiam in Vulgata.

Ut Livium ita Fronto in epistulis conficiendis etiam Tacitum in mente habuit, quem praeter disputandi ordinem hoc loco praeoccupare liceat. Atque recolas hos locos:

Pag. 144, 8 F. 'novissimum namque homini sapientiam colenti amiculum est gloriae cupido. Id novissime exuitur'. Tac. hist. IV. 6; cf. etiam Naberi adnotationem ad Frontonis locum, in qua intellegendum est Philologi volumen decimum non septimum.

Pag. 59, 14 F. 'ne liveant neve invideant'; eandem synonymorum coniunctionem habet Tac. dial. 25. Nipperdey: [et invidere] et liv.

Pag. 107, 14 F. exemplares = exemplaria. Tac. hist. IV. 25; sive est substantive positum sive per ellipsin, tamen solus Tacitus et Fronto ita locuti sunt.

Atque his fere quaestionem de Frontone Augusteae aetatis scriptorum imitatore adumbrare studuimus. — Transeundum nunc est ad argenteam aetatem. De qua quid censeat Fronto compluribus locis declarat atque ita quidem, ut summam iram in iudicando adhibeat. Etenim primi p. Chr. n. saeculi litterae vietae et tabescentes ei videntur esse. cf. p. 123, 19—23 'Post Augustum nonnihil reliquiarum iam et

vietarum et tabescentium Tiberio illi superfuisse. Imperatores autem deinceps ad Vespasianum usque eiusmodi omnes, ut non minus verborum puderet, quam pigeret morum et misereret facinorum.' Quod hoc loco de imperatorum eloquentia dixit, idem etiam in scriptores cadere, duo loci demonstrant, quibus Senecam et Lucanum vehementissime perstringit. cf. p. 158, 18—19 'Quid ego verborum sordes et illuvies? quid verba modulate collocata et effeminate fluentia.' p. 161, 14 'Scabies, porrigo ex eiusmodi libris concipitur.' Atque in hanc vituperationem Seneca et Lucanus ideo praecipue a Frontone vocantur, quod easdem res aliis atque aliis verbis sexcenties repetant comparanturque cum histrionibus eodem pallio varias figuras imitantibus et cum puellis, quae olfactoria et sucina refricant. [1]) cf. p. 157, 2 — 158, 8. Senecam autem Fronto etiam separatim gravissimis et acerbissimis contumeliis insectatur. Namque eius scribendi ornatum admodum artificiosum cum 'prunulis mollibus et febriculosis' confert, quibus opponuntur, ut in antiquario consentaneum est, Catonis nuces iligneae. cf. p. 155, 19 sqq. Iam eundem Senecam alio loco praestrigiatori similem esse contendit, quo non homines eruditi, sed pueri solum gaudeant. cf. p. 156, 7—16 quo loco, ut recte Maius monet, Fronto ante oculos habuit Quintil. inst. or. X. 1.

---

[1]) Quamquam, quod aliis opprobrio vertit Fronto, eo vitio ne ipse quidem caret. cf. Teuffel: Röm. Litt.[4] § 355. 7. Praeterea confer e. g. p. 22, 10—14 F. 48, 24 F. 96, 8—12 F. 100, 27 F. 150, 3—4 F. quibus locis ingenium Marci ut omnium praestantissimum celebratur; p. 50, 2—6 F. et 95, 26 sq. F. utroque loco affirmat se gaudium suum suis vel usitatis verbis exprimere non posse; p. 26, 19 sqq, M. et 28, 19 sqq. M. Frontonis victoria a Marco effertur eodem modo; p. 127, 14 F. et p. 210, 2 F. contemptim quasi proverbii loco Viriathi et Spartaci belli scientia et fortitudo commemorantur; p. 97, 5 sqq. F. et p. 150, 6—9 F. utroque loco Marcus dicitur 'verborum lumina' didicisse, videlicet ex antiquis litteris; p. 50, 15 F. 'quom tu cotidie ultro scripsisti mihi' idem repetitur p. 51, 5 F. (molestissimam repetitionem puto non esse Frontonis, sed librarii cf. p. 20, 11) p. 87, 3 F. et p. 182, 12 F. utroque loco Fronto testatur, quantopere perdicum studio sit deditus.

130 s. f. Iam vero infensissima Frontonis malevolentia et obtrectatio tum fit, cum Senecae scripta cum cloacis comparat; ut enim, inquit, in his nonnumquam lamminae argenteolae, ita etiam apud Senecam sententiae graviter et scite verbis expressae aliquoties reperiuntur. cf. p. 156, 17 — 157, 2 (aberravit typothetae errore vers. 17 in extremam pag. 157).

Quod Frontonis iudicium acerbum et malignum haud minimam partem inde exortum est, quod Marcum magis magisque ab eloquentia in philosophiam declinare atque Senecam legere animadvertebat. Unde ut Marcum reduceret 'de eloquentia' et 'de orationibus' tractatus illos composuit admodum mutilos, quorum summa in eo comprehendi potest, ut philosophia et recentiores scriptores contemnantur, eloquentia autem apparata ex priscorum auctorum verbis et sententiis impensissime celebretur. Sed non solum de his duobus libellis, quos modo laudavimus, verum omnino de Frontone hoc iudicium facere licet: quo vetustiores sunt litterae, eo vehementius praedicantur, quanto autem sunt recentiores, tanto maior fit earum neglectio vel potius vituperatio. Quid enim? Catonem eiusque sectatores mirum quantum celebrat; Ciceronem iam minus laudat, si re vera est laudatio appellanda, immo nonnumquam eum vituperat; Augusteae autem aetatis scriptorum nullius praeter Horatium mentionem facit atque Horatii ita quidem, ut poeta magis propter hortos Maecenatianos quam ob carminum elegantiam memorari videatur;[1]) quod vero attinet ad argenteae aetatis auctores, imprimis Senecam et Lucanum infestissimis conviciis increpitat.

Cum igitur Fronto vehementissimus sit, ut exposuimus, argenteae aetatis litterarum vituperator et insectator, vix credideris eum etiam ex his litteris vocabula usurpasse. Attamen apud eum reperiuntur complures voces, quibus primi

[1]) p. 23, 15—18 F. 'Plane multum mihi facetiarum contulit istic Oratius Flaccus, memorabilis poeta mihique propter Mecenatem ac mecenatianos hortos meos non alienus.' (Locum iam supra indicavimus.)

demum p. Chr. n. saeculi scriptores usi sunt. Iam sequantur exempla, in quibus singulos singulorum vocabulorum auctores proponere perraro licuit; plerumque id solum quaestione effecimus, ut Frontonem nonnulla verba omnino ex argenteae aetatis vocabulorum copia desumpsisse ostenderemus:

Pag. 34, 13 M. 56, 11 M. 253, 4 M. 107, 14 F. excerptum. Sen. ep. 33. 3.

Pag. 130, 7 V. repensare. Vell. Paterc. II. 12; II. 21; Sen. de ira II. 32. 1; Colum. III. 2; Flor. II. 3 (III. 15); Apul. met. VI. 22; de mag. 66; alii plures velut Lact. VII. 1. 25.

Pag. 103, 6 F. assa nutrix. cf. Juv. 14, 208.

Pag. 159, 15 F. strabonus. Petron. 68. 8 = p. 81, 17 Büch.; (fortasse Fronto hoc adiectivum habet ex sermone vulgari.)

Pag. 55, 9 M. strofa (translate pro 'dolus') Phaedr. I. 14, 4; Sen. ep. 26. 5; Mart. XI. 7, 4; Plin. ep. I. 18. 6; legitur etiam apud scriptores ecclesiasticos.

Pag. 69, 5 M. equitatio. Plin. n. h. XXVIII. 54.

Pag. 88, 5 F. focilare. Sen. ep. 13. 14; Plin. ep. III. 14. 4; III. 16. 12; Suet. Aug. 17; Cyprian. ep. 18. 2 H.; Pelagon. veterin. 30 p. 105.

Pag. 91, 27 M. querella corpusculi. Trajan. in Plin. ep. X. 20. 1; substantivum 'querella' de labore ex morbo usurparunt etiam: Sen. nat. quaest. III. 1. 3; Cael. Aurel. acut. III. 5. 54; chron. V. 10. 107.

Pag. 19, 2 F. coronarius (subst.) Plin. n. h. XXI. 177; XXI. 4 (coronaria); inscript. e. g. Murat. 974. 3.

Pag. 158, 22 F. sipunculus. Plin. ep. V. 6. 23 et 36.

Pag. 234, 15 F. imaginari. Plin. n. h. IX. 118; XX. 143; Quintil. IX. 2. 42; XII. 1. 21; Plin. ep. I. 14. 9; II. 10. 7; V. 5. 5; Suet. Caes. 81; Apul. met. VIII. 12; XI. 25; de mag. 15.

Pag. 185, 2 F. mansito (in marg.) Plin. n. h. X. 7; Tac. ann. XIII. 44, 18; XIV. 42, 5 (Halm); Jul. Valer. res gest. Alex. M. III. 52; Hieron. ep. 52. 5.

Pag. 104, 12 M. hospitari. Sen. vit. beat. 23. 3; ep. 31. 11; Plin. n. h. VI. 65; XVII. 149; Petron. 77. 4 = p. 91, 18 Büch.; Porphyr. Hor. sat. I. 5. 38; exstat etiam in Vulgata et apud iurisconsultos.

Pag. 78, 11 M. adprimere. Plin. n. h. VIII. 127; XX. 162; XXIV. 68; XXVI. 7; Tac. ann. XVI. 15, 11; Priap. carm. 82, 24.

Pag. 69, 5 M. sternutatio. Scribon. Larg. 10; Apul. met. IX. 24 et 25; Cael. Aurel. chron. II. 7. 94; occurrit etiam in Vulgata.

Pag. 156, 16 F. gesticulari. Petron. sat. 36. 6 = p. 39, 6 Büch.; Suet. Nero 42; Domit. 8; Apul. flor. IV. n. 18; Tert. de spectac. 17; Solin. 27 § 60.

Pag. 159, 20 F. crispulus. Sen. ep. 66, 25; 95. 24; Mart. V, 61, 1. 2. 13; Arnob. III. 14 p. 121, 22 R.

Pag. 219, 15 F. culinarius (adiect.) Scribon. Larg. 230 (subst.)

Recensuimus ea verba, quae ex argenteae aetatis vocabulorum copia Fronto recepisse videtur. Occurrunt autem in epistulis Frontonianis eiusmodi quoque voces et locutiones, quae, quantum scimus, apud Frontonem primum in litteris usurpantur. Iam verisimile est, eas depromptas esse ex antiquis litteris nunc deperditis aut ex vulgari sermone, in quo inde a priscis temporibus usque ad Frontonem perdurarint. Atque longe plurima huiusmodi vocabula iam collecta sunt apud Klussmannum l. c. p. 75 exc. II; sed eis adici possunt haec:

Pag. 65, 9 F. gemmula. Apul. met. X. 29; ἀνεχ. 9; Arnob. III. 23 p. 127, 19 R.; exstat etiam in Vulgata.

Pag. 98, 18 F. nevolus. Gell. XII. 1. 7; Apul. de mundo 5.

Pag. 204, 16 F. regressio (sens. propr.) Apul. met. II. 18; IX. 22; Cyprian. ep. 54. 1; Augustin. de ver. relig. 52. 101.

Pag. 137, 5 F. volentia. Apul. met. XI. 6.

Pag. 146, 4 F. incitator. Cyprian. ep. 20. 3; Ammian. XXVIII. 1. 51; Prudent. περὶ στεφ. X. 67.

Pag. 135, 8 F. ea fine. (pro eatenus vel sic) Eandem locutionem post Frontonem adhibuerunt Gell. e. g. I. 3. 30; XIII. 21 (20) 9 (hac fini); I. 3. 16; IV. 1. 6 (qua fini); Apul. de dogm. Plat. II. 28 s. f. (tali fine).

Pag. 228, 2 F. nugalis. Gell. VI (VII) 17. 3; I. 2. 6; Martian. Cap. 1 § 2.

Pag. 229, 21 F. currulis. Apul. met. IV. 2; IX. 9; Lamprid. Comm. 2. 4.

Pag. 93, 1 M. nudius tertianus. Ambros. de Abrah. II. 10 § 73; Augustin. compluribus locis velut serm. 9. 5.

Pag. 113, 13 F. versicolorus. Ambros. saepius velut in Luc. 5. n. 23; Prudent. c. Symm. II. 56.

Pag. 113, 13 F. unicolorus. Prudent. ἁμαρτιγ. 818.

Pag. 80, 14 M. obtemperanter. Prudent. περὶ στεφ. II. 112; Augustin. saepius e. g. de civ. dei 16. 25.

Pag. 65, 13 F. et 207, 9 F. insuper habere. Gell. I. 19. 8; IV. 1. 18; Apul. met. IV. 25; singulis locis legitur in Digestis et in Vulgata.

Pag. 66, 12 F. demeare. Apul. met. X. 31; Martian. Cap. 2. 150.

Pag. 73, 3 F. subvenire. (translate pro in mentem venire) Apul. met. III. 29.

Pag. 133, 17 F. modificari. Gell. I. 1. 3; Apul. met. XI. 21; de deo Socr. prolog. 105; de dogm. Plat. II. 12.

Pag. 182, 7 F. degluttio. Tert. ad nat. II. 12; Alcim. Avit. IV. 364; Ps. Boeth. de duab. nat. p. 187 Peip.; Cassiod. in psalm. 106, 29; pluribus locis in Vulgata.

Pag. 210, 19 et 20 F. constrepere. Gell. IV. 1. 4; Apul. met. IV. 26; VI. 6; VIII. 27; XI. 10.

Iam reliquum est, ut transeamus in postremam quaestionis particulam eaque proferamus, quae Frontonem ex iurisconsultorum sermone assumpsisse credibile est. Neque miramur Frontonem, quod nonnullas iurisconsultorum dictiones delibavit, cum ipse fuerit aetatis suae causidicus celeberrimus. cf. Mai praef. p. XXVIII et XXIX; Nab. praef. p. XXXII. Omittimus autem in enumeratione singularum locutionum eas, quae etiam apud Ciceronem leguntur, velut p. 52, 17 F.

testimonium denuntiare alicui; p. 122, 2 F. 'petitor' et 'unde petitur'; p. 219, 17 F. postliminium. p. 9, 6 M. et 12, 7 F. praevaricari. (est celebre praecipue iurisconsultorum verbum, quo defensor petitorem potius adiuvare, quam clientem suum defendere dicitur.)

Iam vero, quae sequuntur perpauca quidem exempla, iurisconsultorum peculiaria sunt:

Pag. 224, 23 F. delatorius. Dig. 22. 6. 6; Cod. Theodos. 10. 10. 7.

Pag. 227, 18 F. demonstratio (de accuratissima alicuius rei significatione velut loci, fundi. cf. Heumann: Handlex. z. d. Quell. d. röm. Rechts. Jena 1879 s. v. demonstrare.)

Pag. 227, 13 F. 'parum cavisse videtur;' est formula condemnandi. cf. Fest. p. 238 M.

Pag. 89, 2 F. in solutum dependere; excepto Seneca, qui similiter habet: in solutum accipere (de benef. 2. 26) in sol. imputare (ep. 8. 10) nonnisi iurisconsulti ita dixerunt. cf. e. g. Dig. 46. 3. 45.

Quo in indice vocabulorum ea tantum elegimus, quae deprehenduntur in epistulis sine argumento iudiciali; plura inveniuntur, ut consentaneum est, in eis, quae eiusmodi rem tractant e. g. ad M. Caes. I. 6 p. 13 sqq. in fragmento illo nobili orationis Frontonianae, qua agitur de hereditatis lite ex Asia Romam ad diiudicandum missa; ad amic. II. 7 p. 192 sq. de Volumnio in decurionatus honorem, quo aliquamdiu prohibebatur, revocando; ad M. Caes. I. 16 et 17 p. 37 sq. de hereditate Matidiae.

Atque his fere quaestionem de Frontone aliorum auctorum imitatore non absolvere, sed, ut supra diximus, incohare conati sumus. Quodsi nunc omnia, quae in praecedentibus exposuimus, paucissimis repetimus, id pro certo ponere possumus, Frontonem, quamvis priscos potissimum auctores admiretur atque aemuletur, tamen ex recentioribus quoque nonnulla decerpsisse. Eiusmodi autem antiquorum et recentiorum compositio confusioque fieri non potuit, quin hominibus, qui rem contemplarentur ab omni falsa opinione liberi, deridenda et irrita esse videretur. Tantum enim aberat, ut

litterae Romanae sola priscorum verborum usurpatione tum quidem temporis, cum homines priscis virtutibus prorsus carebant, efflorescerent, ut ab interitu vindicari atque in integrum restitui iam nulla re possent.

Itaque mirum non est Marcum, ut supra diximus, quo magis philosophiae studiis imbueretur, eo longius a Frontonis eloquentia recessisse, immo eundem deis gratias egisse, quod eiusmodi eloquentiae studium omisisset.

Emendationes Frontonianae.[1]

Ad amic. I. 1. p. 173, 22 sq. in codice Frontoniano haec leguntur: 'Laus ad me de ingenio eius iam apervaserat, quam veram ad aures meas accidisse usu didici multisque documentis expertus sum.' Naberus edidit: 'iam pervaserat'; multo concinnior evadit sententia, si scribitur: 'Laus ad me de ingenio eius fama pervaserat,' ut 'fama' et 'usu' inter se opposita sint. cf. quae diximus p. 16 adn. 1. Litterae autem maiusculae f et i inter se simillimae sunt.[2])

Ad amic. II. 8 p. 199, 4 sq. Fronto postquam se ab Arrio Antonino coli magnique aestimari praedicavit, ita pergit: 'Eo fit, ut ad me decurrant plurimi, qui tuam gratiam cupiunt. Quos ego non temere nec sine dilectu audio, sed

[1]) Cum hanc dissertationem conscriberem, ex praesidiis ad Frontonem emendandum frustra quaesivi hos libellos: 1. H. Alanus: coniecturae et animadversiones. Dublini 1841. Idem vir doctus Frontonem una cum aliis scriptoribus tractavit duobus libellis, qui prodierunt Dublini 1863 et 1867. Nonnullas Alani emendationes exhibuit Naberus p. 294 sq. 2. H. C. A. Eichstaedt: Corn. Frontonis operum nuper in lucem protractorum notitia et specimen. Jenae 1816. 3. C. F. Heinrich: Auctarium emendationum in Frontonis reliquias ex nupera editione Berolinensi. Kiliae 1817. 4. A. Philibert-Soupé: de Frontonianis reliquiis. Ambiani 1853.

[2]) De codicis litterarum formis et in hac et in reliquis coniecturis cf. Mai specim. palimps. bobiens.-ambros. imprimis tab. VI et IV.

probe petentibus suffragium meum impertio: iis vero, qui parum probe quid a te impetratum velint, ipse (codex . . se corr. Klussmannus l. c. p. 68) denego: ut a me potius ill . . . eretul . . m Baburiana' c . . e. q. s. Locus est admodum mutilus; attamen crediderim aliqua ex parte, quantulacumque est, medelam ei adhiberi posse. Cum enim sermo sit de suffragio denegando, in corruptela: retul . . m (si spatium recte indicatum est) facillimo negotio corrigi potest: repulsam, quod Niebuhrius, meritissimus ille de Frontone criticus, divinando assecutus est cf. edit. Berol. p. 216 adn. 1. Qua emendatione haec fere sententia exoritur: qui vero minus honesti aliquid per me a te cupiunt, eis iam ego abnuo, ut a me potius illi quam a te referant repulsam. Baburiana contra nihil improbi petit. Iam sequuntur in eadem epistula post nonnullas lacunas haec (p. 199, 9 sq.) 'caros mihi viros et magno opere iis obsequi cupiam. Item tamen ut . . mamihia . potissima sit iustitiae tuae ratio.' Apparet Frontonem his verbis explicare, quatenus hominibus Arrii Antonini gratiam petentibus obsequi velit. Itaque a sententia non abhorrebit locum sic emendare: et magno opere iis obsequi cupiam; ita tamen, ut prima mihi ac potissima sit e. q. s. Dicendi formula 'ita tamen ut' legitur p. 79, 2 Nab.; adiectiva 'primus' et 'potissimus' coniunguntur p. 52, 17 F. 'huic enim primo ac potissimo testimonium aput te denunciavi.' cf. p. 92, 7 M. 'primum et praecipuum.'

Ad M. Caes. I. 1. p. 3, 7 haec exstant: 'Vale, Caesar, et ride et omnem vitam laetare et parentibus optimis et eximio ingenio tuo fruere.' Quod Fronto Marcum ridere iubet, id vix quisquam probabit; dubitatur tantum de loci sanandi ratione. Atque Klussmannus quidem vitium tollere conatus 'et ride' mutavit in 'optime' recto, ut puto, iudicio usus, sed paulo longius a codice aberrans. cf. Fleckeis. annal. 109 (1874) p. 637. Equidem periclitor: 'Vale, Caesar egregie et omnem vitam' e. q. s., quod propius ad codicis scripturam accedit, nam plurimae corruptelae litterae in coniectura repetuntur; sed etiam quae diversae sunt, facile ut in palimpsesto ad genuinas compleri possunt . Princeps

autem 'egregius' Antoninus appellatur a Frontone p. 95, 15 'Video te, Antonine, Principem tam egregium quam speravi.'

Ad M. Caes. I. 8 p. 21, 16 Du Rieu e codice exscripsit: 'Igitur ut populo gratum erit, ita facies atqua dices.' Iam Naberus, qui Du Rievii schedis in editione apparanda usus est, divulgavit: 'ita facies atque dices.' At cum particula 'que' scribatur per compendium[1]) q, inter 'atq.' et 'dices' duae litterae ua restant a Nabero non curatae. Ex quibus lenissima mutatione effingere potes adverbium 'ita'. Vera lectio: 'ita facies atque ita dices' iam exstabat in editione Mediolanensi p. 34 eamque nuper ex codice ipso expiscatus est Studemundus l. c. p. XXIII.

Solet autem Fronto saepius adverbium tum quidem, cum ad duo verba pertinet, ante utrumque inculcare. cf. e. g. p. 105, 14 F. 'ita censes atque ita iudicio tuo — decernis'; 144, 7 F. 'ita diceret atque ita te compellaret'; 98, 11 F. 'ita breviter — atque ita valide elocutus es'; 120, 1 F. 'ita durum aut ita iniurium'; 176, 15 F. 'tam doctum tamque elegantem virum'; 86, 3 F. 'tam suavis tamque saviata'; 27, 10 M. 'tam iucundum tamque mellitum.'

Ut eo loco, quem modo tractavimus, ita etiam in sequentibus agitur de compendio. Naberi enim editio **de feriis Alsiensib. 3. p. 229, 16** haec praebet: (Alloquitur Juppiter Somnum) 'Hoc, inquit, suco soporem hominibus per oculorum repagula inriga: cuncti quibus inrigaris, ilico post procum-

---

[1]) Compendiis librarius raro usus est. Naberus praef. p. XII. s. f. tria enotavit: Q = que; B = bus; Imp. = Imperator. Vide etiam Studemundum l. c. p. VIII adn. 1. Quibus addi possunt haec: resp. = respublica; R = rescriptum cf. Nab. p. 78 adn. 2. Singulare autem est, quod scribitur p. 23, 18 libr. s. = libro secundo; p. 14, 15 procos. = proconsulis; 183, 14 N = nostrum; (hoc compendium ocurrit etiam p. 186, 17 et 187, 22.) Pro relativo pronomine 'quae' librarius aliquoties particulae compendium exaravit cf. p. 7, 18; 23, 1 (Studemund l. c. p. V in.); etiam contrarius error exstat cf. p. 12, 19 et Stud. l. c. p. IV s. f.); p. 24 adn. 12; p. 47 adn. 5; semel deprehenditur (p. 237, 9) $\bar{q}$ = quae. (Assentior in hoc compendio explicando Eussnero cf. Fleckeis. annal. CXI (1875) p. 766; apud Naberum legitur: qui.)

bent pro . . . mortuis immobiles iacebunt: tum tu ne timeto, nam vivent et paulo post, ubi evigilaverint, exsurgent.' Hauptius (op. III. p. 620) et Klussmannus (l. c. p. 72) lacunam particula 'que' expleverunt, quod supplementum non sufficit, cum ea particula una tantum litterula (q) exprimatur. Melius autem, spero, oblitteratum spatium sanabitur, si corrigemus: 'proque demortuis immobiles iacebunt' nec discrepat demoriendi verbum a Frontonis stilo, cum saepius inveniatur apud Plautum. cf. Stich. I. 3, 62; I. 3, 57; Mil. IV. 1, 23; IV. 2, 49.

Cum librarius, ut supra cognovimus, litteram b exaraverit pro suffixo 'bus', Naberus non recte supplevisse dicendus est, quae in codice sunt **ad Ver. II. 3. p. 131, 17** 'mandavi Cassio Avidio Martioque Vero commentarios quosdam mihi facerent, quos tibi mittam, ex quibus tu (cod. quib....) mores hominum — cognosces.' Namque Naberi supplementum duas tantum litteras occupat; desiderantur autem quattuor. Sed cum eiusmodi medelae iam plures in promptu sint, nec sine codicis auxilio diiudicari possit, quaenam earum genuina sit, satis habemus pervulgatam lectionem ut falsam impugnasse.

Ad M. Caes. V. 39 (54) p. 87, 23 Naberus Maium secutus hanc epistulae clausulam Caesari attribuit: 'Vale mi iucundissime mihi magister'. Codex pro mihi habet ṁ quod Maius notam dativi esse credidit. Sed errasse mihi videtur. Nam primum eiusmodi compendium in codice esset singulare; immo alibi puncto superscripto litterae delentur.[1]) Deinde, quod gravissimum est, Mai lectio exemplo caret; nam si in clausula dativus 'mihi' adiungitur, verborum ordo immutatur et dativus 'mihi' cum vocativo adiectivi ponitur post vocativum 'magister' aut 'Fronto'. Iam sequantur exempla: 'vale mi magister iucundissime mihi' p. 85, 15; 90, 8; 92, 10. 'vale mi Fronto, carissime mihi' p. 164, 9. 'vale

[1]) cf. p. 27 adn. 3 Nab. et Studemund l. c. p. VII in adn. s. f. ṁmea = mea (non video, qua de causa Studem. paulo post dixerit, supra m bina puncta adhibita esse); Stud. l. c. p. XXXIX (244, 6); XL (246, 13).

mihi Fronto carissime et iucundissime mihi' p. 44, 2. Nusquam verba ita collocata sunt, ut eo loco, quem tractamus. Quare illud punctum supra m non compendii, sed liturae signum esse puto, ut alibi in codice factum est. Librarius enim litteram m vocis 'magister' bis inculcaverat, errore autem cognito prius m puncto delevit. Legendum igitur censeo: 'vale mi iucundissime magister', quae clausula saepissime occurrit. cf. Klussmannum l. c. p. 74.

Primae manus lectionem restituere nobis est in animo **ad M. Caes. V. 14 (29) p. 81, 2** ubi teste Du Rievio hoc a prima manu in membranis scriptum est: 'Cervicum, Domine, dolore gravisum correptus sum.' Naberus alterum 'sum' cum pro dittographia, ut puto, haberet, e textu eiecit; vix recte. Latet enim in 'gravisum' superlativus 'gravisumo' vel potius 'gravissumo'. Quare altero loco verbum auxiliare retinebimus et verba sic constituemus: 'Cervicum, Domine, dolore gravissimo correptus sum, de pede dolor decessit.' Confirmatur autem emendatio eo, quod Fronto saepius gravissimo dolore afflictum se esse conqueritur. cf. p. 167, 20 F. 'dolor umeri gravis, cervicis vero multo gravissimus' et p. 81, 21; 90, 28.

Ut in praecedenti coniectura primae manus vestigiis ad rectam lectionem enucleandam adiuvabamur, ita in sequenti secundae auxilio aliquantulum proficere conabimur. Scribitur enim a secunda manu **ad M. Caes. II. 2 p. 27, 1** 'tu quidem me magister amabis quam ullus hominum ullum hominem amat'; prima autem manu pro 'magister' traditum est 'magis'. Quod quamquam ferri potest, tamen etiam secundae manus rationem habendam esse puto.[1]) Nam illud 'magister' haud aliter intellegere poterimus nisi ita, ut correctorem ex alio codice lectioni primae manus blandam illam allocutionem addere voluisse statuamus. Itaque auctor sum,

---

[1]) Secundam manum haud raro veram lectionem restituisse documento sunt haec: p. 15 adn. 12; p. 24 adn. 10; 27—8; 31—8; 40—2; 41—2; 42—7; 42—10; 44—2; 49—5; 52—3; 55—7; 62—5; 63—2; 64—6; 67—5; 69—4; 70—7; 70—9; 75—4; 103—6; 130—12; 132—8.

ut legas: 'tu quidem me, magister, magis amabis' e. q. s. Quae coniectura probabilior fit ea re, quod Fronto saepissime magistri nomine honesto a Marco appellatur. Neque singularis est solus vocativus 'magister' pronomine 'mi', quod ceteris locis adiungitur, non addito; ita enim legitur p. 91, 2 'quom haec scribas mihi, magister, credo intellegis' e. q. s.

Ad M. Caes. I. 8. p. 22, 20 sq. corrector haec in marginem descripsit: 'Vobis praeterea purpura utuntur necessarium est, eodem cultu nonnumquam oratio quoque est amicienda'. cf. Studemundum l. c. p. XXIII. Quae verba sententiam non praebent, sed duce textu, unde fluxerunt, possunt sanari. Saepe enim corrector rem ita gessit, ut eisdem verbis, quibus in textu exstant, sententias in margine repeteret. Quoniam id enunciatum, cui mederi studemus, omnibus verbis excepto uno cum textu consentit, illud 'utuntur', quod diversum est, immo quod non habet, quo referatur, suspectum esse debet. Itaque opinor in 'utuntur' depravatam esse lectionem: 'purpura uti quibus necessarium est'. Quae denuo ad textum redit (ubi legitur: 'quibus purpura — uti necessarium est') et quamquam primo obtutu a corruptela longius videtur abesse, tamen, si diligentius examinaveris, proxime accedet; suffixum enim 'bus' in marginis scriptura non per compendium significatur ibidemque litterae s et r nonnisi paululum inter se differunt. cf. Mai specim. codicis tab. IV.

Concinnitas orationis valde turbata est **ad M. Caes. II. 5. p. 30, 1 sq.** ubi Marcus Polemonem cum agricola strenuo comparat, qui eam tantum sementem fecerit, quae ad usum spectaret reditumque uberrimum praeberet, qui vero nihil in agro suo severit, unde vitae voluptates atque amoenitates perciperentur. Quam imaginem concludens Marcus ita dicit: 'Omnia ad usum magis quam ad voluptatem, quaeque magis laudare oporteat, amare non libeat'. Vix dubito, quin alumno Frontonis, qui sententiarum parallelismo nimium studuerit, alterum 'magis', quo concinnitas contrarii aegre confunditur quodque caret verbo, ad quod pertineat, abrogandum sit et legendum: 'quaeque laudare oporteat, amare

non libeat'. Sola enim librarii neglegentia illud adverbium ex praecedenti 'magis' in textum irrepsit; quod recte iam Orellius suspicatus est, sed male emendavit, cum pro 'magis' coniceret 'ingratiis'. cf. chrestomath. Fronton. p. 167 s. f. Saepius autem in codice Frontoniano librarii ex praecedentibus verba neglegenter iterum inculcarunt. cf. p. 177 adn. 1; 178 adn. 2; 183 — 7; 88 — 6.

Eadem ratione labem traxerunt, quae reperiuntur **de eloquentia 1. p. 143, 18 sq.**: 'Simile igitur in eloquentia servandum: non opere nimio concupiscas igitur, nec opere nimio aversere: tum si eligendum sit, longe longeque eloquentiam infantiae praeferas.' Molestissime aequabilitas verborum altero 'igitur' deformatur. Quare Frontonem, qui Sallustii contentionum elegantiam diserte praedicet, ita scripsisse contendo: 'non opere nimio concupiscas, nec opere nimio aversere'.

Ad M. Caes. V. 59 (74) p. 93, 1 haec traduntur: 'Heri totum diem in itinere adtrivimus: hodie difficile est, ut praeter vespertinam γνώμην quicquam agi possit. Nocte, inquis, tam longa dormis? Et dormire quidem possum, nam sum multi somni; sed tantum frigoris est in cubiculo meo, ut manus vix exseri possit. Sed re vera illa res maxime mihi animum a studiis depulit, quod' e. q. s. Iam Klussmannus l. c. p. 49 sq. recte exposuit priore particula 'sed' orationem fieri inconcinnam. Neque enim oppositae sunt sententiae, verum Marcus dicit, ut sententiis nocte convertendis operam non daret, id iam utraque re fieri potuisse: et sua somnolentia et cubiculi frigore. Quae cum ita sint, assentior Klussmanno 'nam sum multi somni, et tantum frigoris est' emendanti. Illud tantum addo: levissima mutatione locum sanatum iri, si adiectivum 'multisomnis' exemplis firmari posset; nihil enim aliud immutandum esset nisi litterula d ('nam sum multisomnis et tantum'). Sed exempla non invenimus, suppetunt tantum analogiae similis adiectivorum formationis velut: multiiugis, magnanimis, paulo secus ficta sunt: exsomnis, insomnis.

Princip. hist. p. 202, 9 Klussmannus recte docuit l. c. p. 68 legi non posse: 'ut magnis rebus gestis historia non indiligenter scribta nonnihil studii et rumoris auctura sit' quia studium et rumor augentur, nonnihil studii et rumoris non augetur, sed additur. Qua de causa emendavit 'additura sit'; sed propius ad codicis scripturam accedemus, si corrigemus 'allatura sit'.

Item accuratiorem fortasse lectionem e libri vestigiis eliciemus, si **ad M. Caes. III. 9 p. 47, 12** pro eo, quod Naberus edidit: 'quia te iuxta ac memet ipsum amo' legemus: 'quia te iuxta atq. memet ipsum amo'. Codex enim habet 'aut', unde mihi facilius effici posse videtur 'atq' (= atque) quam 'ac'. cf. Mai specim. palimps. bobiens. — ambros. VI. 'Iuxta' cum 'atque' coniunxit e. g. Sall. Iug. 95. 3; Liv. XXVIII. 20. 6.

Locus admodum truncus exstat **de feriis Alsiensib. 3 p. 227, 15 sq.**, ubi Fronto Marcum adhortaturus, ut Alsii, quo ad ferias agendas se receperat, negotiis publicis paulisper omissis corpori curando operam daret imprimisque somno vires reficeret, ita dicit: 'At tu obsecro vel ioco vel serio te exorari a me patere, ne te somno defraudes utique terminos diei ac noctis serves. Agere de finibus........c\vis claros et nobiles Vesperum et Luciferum puta — horum cognitioni interesse postulat Somnus' e. q. s. Lectionem ita dedi, ut Du Rieu e codice exscripsit; sed dolendum est, quod Naberus locis mutilis versuum finem non declaravit.[1])

[1]) Omnino de Naberi editione pauca monere liceat. Testatur vir doctissimus, se in Frontone edendo hanc legem esse secutum, ut plerumque codicis orthographiam retineret cf. Prolegom. p. XIII; Studemund l. c. p. VI. (Quamquam librariorum licentiae, quam nimiam fuisse ex indice orthographico p. 277 sq. cognoscere poteris, paulo plus obsecutus esse dicendus erit e. c. his locis: p. 10, 17 agnasceret = agnosceret; 85, 14 deligendum = diligendum; 220, 23 aequitibus; 137, 1 diffisa = diffissa; 145, 13 et 14 execet — exsecari.)

Attamen eam legem, quam sibi imposuit, Naberus aliquoties neglexit et rem gessit inconstanter. Libri enim orthographiam deseruit p. 22, 16 quadrupedo (cod. quadripedo); contra in eodem vocabulo retinuit p. 156, 4 quadripedo. cf. p. 139, 8 quadriplicia. Profero aliud exemplum: Cum innumeris locis reperiatur 'quom', etiam ubi

Etenim si ab litteris 'vis' novus versus, quod verisimile est, incipit, haud difficili negotio ex illis reliquiis adverbium quamvis effingere possumus. Nam primum lineolam obli-

---

praepositionis vice fungitur, miramur cur Naberus p. 235, 10 scripserit contra codicem 'cum fratre' (cod. quom); addi potest hic locus eis, quos collegit Klussmannus l. c. p. 10 adn. 1.

Deinde Naberus scripturam ita instituit, uti, quantum fieri posset, primae manus ratio haberetur; quod demonstrant e. g. haec: p. 30 adn. 9; p. 43 adn. 9; 44 -10; 69—5; 74—7; 75—5; 99—1; 155—4; quibus adiungi possunt multa alia. Verum in hac quoque re editor novissimus sibi constans non fuit. Litterae enim b et v a prima manu in codice saepius permutantur, ut b pro v et vice versa v pro b exaretur; secunda autem manus aliquoties in eiusmodi vocibus aut b aut v inculcavit, ut elegantis latinitatis scriptura restitueretur. Iam Naberus in his verbis plerumque primae manus orthographiam retinuit; nonnumquam vero id, quod secunda manus immutavit, sibi ipsi repugnans antetulit.

Illustrabo rem exemplis. Atque cum prima quidem manu Naberus scripsit: p. 15, 18 statiba; 25, 21 benia; 41, 9 postulabi; 49, 1 absolberis; 64, 14 labere = lavere; 66, 7 laudabi; 69, 14 gargarissabi; 69, 19 consudabimus = consudavimus; 90, 4 relebes; 92, 9 brebi; 107, 25 fribola; 114, 2 Pacubius; 120, 20 adiubant; 133, 7 respirabi; 182, 8 ubam; 208, 14 enerbes; 223, 11 nobellae; 253, 2 vibo = vivo; 69, 5 valevis; 69, 20 iuvilavimus; 81, 7 et 14 civi = cibi; 141, 12 civo; 86, 9 tractavitur; 87, 21 laudavilior; 88, 2 valneo; 94, 10 agitavis; 97, 20 amavit = amabit; 175, 17 postulavit = postulabit; 196, 19 abundavit = abundabit; 211, 8 existimavis.

Contra cum secunda i. e. correctoris manu edidit: p. 14, 20 postulabit (cod. postulavit); 14, 20 suspicabitur (cod. pr. m. suspicavitur cf. Studemund l. c. p. IV s. f.) 22, 9 moderaberis (cod. moderaveris) 64, 6 debilitet (cod. pr. m. devilitat); 101, 15 superbiorem (cod. pr. m. superviorem) 19, 16 veneficia (cod. beneficia); 63, 23 eruas (pr. m. erbas).

His exemplis addere liceat alia similia. Pertinent autem haec exempla ad scripturam ei pro i, quam prima manus saepius usurpavit. Eandem orthographiam Naberus quoque plerumque retinuit velut p. 210, 17 caerimonieis (sec. manus plerumque ex ei effecit i) 210, 17 placarei; 90, 17 corpusculei; 81, 11 mihei; 94, 24 petentei; 84, 8 centumviralei; 84, 16 nisei; 79, 12 consumpsei; 77 s. f. dormei.

Atque his locis multi alii addi possunt, quibus editor servavit primae manus orthographiam. Quid autem in pag. 253, 19 Naberus? Diserte contra primam manum scripsit 'sententiis' cum secunda manu (pr. m. sententieis); quod eo magis monendum esse mihi videbatur,

quam \ facile potes supplere ad litteram a, deinde littera m in fine versus significatur tractu super vocalem antecedentem posito (cf. Studemundum l. c. p. IX); illud c denique aut altera pars litterae u est, ut tum in lacuna exciderint altera eiusdem litterae particula et littera q, aut compleri potest ad hanc litteram. Atque lenissima fit emendatio, si hic quoque ut alibi nonnumquam pro qu scripta fuit q littera sola (cf. p. 81 adn. 7; 121 adn. 10; 197 adn. 5; 181 v. 17.) 'Quamvis' cum adiectivo coniunctum reperitur e. g. p. 195, 10; 202, 11. Spatium autem oblitteratum, quod praecedit, satis accurate ut in lacuna coniectura Orellii ('duos deos') aut Eckstein ii ('divos duos') expletur. Quae cum ita sint, totum locum sic constituo: 'Agere de finibus duos deos quamvis claros et nobiles, Vesperum et Luciferum, puta' e. q. s.

Ad M. Caes. V. 31 (46) p. 85, 6 Marcus Frontoni de novi anni gratulatione haec scribit: 'Quietius idem fiet perendie, si dei dent. Gratia tua officio functa est.' Quibus in verbis non probo, quod Naberus Maium secutus in lacuna supplevit 'dent'. Neque enim in eiusmodi formulis, quibus

---

cum paulo post rursus cum prima manu editum sit (p. 253, 21) 'alieis' (sec. m. aliis).

Nonnumquam vero Naberus in eisdem verbis modo primae modo secundae manus orthographiam adhibuit; legitur enim:

Pag. 182, 5 ingeni c. pr. m. (sec. m. ingenii)	Pag. 96, 12 ingenii c. sec. m. (pr. m. ingeni)
Pag. 75, 8 dei c. pr. m. (s. m. di)	Pag. 215, 15 dis c. s. m. (pr. m. deis)
Pag. 232, 25 deis (cod. dies)	Pag. 79, 4 diis (cod. pr. m. dies)
Pag. 136, 10 quom c. pr. m. (s. m. cum)	Pag. 175, 5 quotienscumque c. s. m. (pr. m. quotiensquomque)
Pag. 104, 10 quom c. pr. m. (s. m. cum cf. Stud. l. c. p. VI. s. f.)	Pag. 184, 11 cum c. s. m. (pr. m. quomi)
Pag. 12, 13 quom (cod. quam) idem fit p. 106, 19; 145, 16; 157, 5.	Pag. 170, 14 cum (cod. pr. m. quam)
Pag. 237, 15 autscultaret c. pr. m. (s. m. auscultaret)	Pag. 192, 12 ausculto c. s. m. (pr. m. autsculto)

Minutulas res et eas quidem orthographicas reprehendimus, — quamquam non omnia proposuimus, possunt multo plura enumerari — attamen ab editore certis quibusdam legibus erant tractandae.

aliquid ex deorum auxilio pendere aut procedere aut factum esse dicitur, apud Frontonem deprehenditur verbum dandi; plerumque reperitur verbum iuvandi velut: 'deis iuvantibus' vel 'dis iuvantibus' [1]); 'si dei iuvabunt' [2]); 'si di — iuverint' p. 200, 13; deinde saepius occurrit verbum volendi e. g. 'deis volentibus' vel 'dis volentibus' [3]); 'si dei volent' p. 89, 14; singularia sunt: 'deis faventibus' p. 56. 24; 'diis propitiis', p. 49, 3; 'si dii aequi sunt' p. 166, 22; 'si — di (supplevit Maius) boni faciunt' p. 231, 4. At nusquam invenitur verbum dandi. Quam ob rem suaserim, ut ex eis exemplis, quae modo attuli, aliquod eligatur, fortasse: si dei volent, quod Marcus usurpavit p. 89, 14, quodque idem ferme spatium occupat quam Mai supplementum: dent.

Laudes fumi et pulveris p. 213, 1 in sententia e margine exscripta: 'iocularia austere, fortia hilariter dicenda' vix recte se habet vox 'fortia'. Nam apud Frontonem in eiusmodi contrariis usurpatur adiectivum 'serius'. cf. p. 24, 20 'qua ioco qua serio'; p. 174, 2 'iocum seriumque participavimus'; p. 227, 15 'vel ioco vel serio'; cf. etiam p. 210, 10 'imperium non minus ludicris quam seriis probari'. Alii quoque scriptores vocabulum iocus opposuerunt voci serius. cf. Plaut. Amph. III. 2, 25; III. 3, 9; Bacch. I. 1, 42; (hos Plauti locos debeo Studemundo l. c. p. XXX adn. 1.) Poen. V. 5, 42; Cic. de off. I. 37. 134 ('ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: si seriis, severitatem adhibeat, si iocosis, leporem.') Idem: de finib. II. 26. 85; Sall. Iug. 96. 3; Hor. sat. I. 1, 23 et 27; Liv. I. 4. 9; VII. 41. 3.

Quae res cum ita se habeat, illud 'fortia' suspectum habeo. Sed amplius de loco incertissimo, dum codex accuratius inspectus erit, disputare nolo. Id unum addam, Eichstaedtium, ut Niebuhrius adnotat p. 256 edit. Berol., locum sic constituisse: 'iocularia austere formanda, austera dicenda ioculariter'.

Ad M. Caes. III. 8 p. 46, 14 Fronto rationem imaginum quaerendarum explicaturus haec dicit: 'Iam primum quidem

[1]) cf. p. 80, 13; 81, 13; 83, 4; 88, 7; 56, 19; 70, 21; 91, 3; 101, 7.

[2]) cf. p. 84, 25; 88, 8; 88, 11.

[3]) cf. p. 79, 22; 88, 18; 72, 7; 91, 30; 94, 21.

illud scis, εἰκόνα ei rei adsumi, ut aut ornet quid, aut deturpet aut aequiperet, aut deminuat, aut ampliet aut ex minus credibili credibile efficiat'. Male Eussnerus in dativo 'ei rei' delendum censuit pronomen. cf. Mus. Rhen. XXV p. 545. Est enim 'ei rei' dativus commodi, qui saepius a Frontone usurpatur. cf. p. 63, 22 'te magno opere conlaudo, quod ei rei curam industriamque adhibes, ut' e. q. s. p. 95, 12 'Nec quicquam est praeterea, quod ego tantopere — impetratum cupiam, quam ut vestro conspectu — frui quam mihi diutissime liceat: eique ego rei, sei fieri possit, repuerascere opto'. p. 210, 17 'ei rei pompas — a maioribus dicatas'. Ad hunc locum, quem postremo laudavi, Maius adnotat Plaut. Cist. I. 3, 36; adde Enn. apud Front. p. 217, 6 'tum morituros scivi et ei rei sustuli'.

Iam apparet ex locis allatis Eussneri emendatione opus non esse. Sed alio quoque loco idem vir doctissimus codicis lectionem perperam commutasse mihi videtur. Leguntur enim in **Arione p. 238, 1 sq.** haec: 'Rex homini credere, miraculo addubitare, navem et socios navalis, dum reciperent, opperiri'. Eussnerus igitur in Fleckeis. annal. CXI p. 766 pro reciperent legi iubet reciperet. Non recte Eussnerus. Nam recipere usurpatum est hoc loco pro se recipere significatque redire scil. in portum, quae vox insequitur. Simile est, quod legitur p. 68, 10 'inde post meridiem domum recepimus; ego me ad libellos'. Omnino autem apud Frontonem saepius verba transitiva adhibentur sensu reflexivo. cf. p. 105, 27 'spes in rem convertit'. p. 230, 9 'ea somnia plerumque ad verum convertunt'. p. 70, 10 'priusquam in latus converto' (pr. m.). Deinde verò, quod gravissimum est maximeque codicis lectionem tuetur, Fronto eo loco, de quo agitur, Plautinum dicendi usum imitatur; simillimus enim est locus Plauti Bacch. II. 3, 60 'rursum in portum recipimus'; cf. etiam Merc. II. 4, 30; Rud. III. 6, 42.

De bello Parthico p. 222, 12 sq. Fronto, quod non sua manu rescripserit, Marco se ita excusat: 'Digitis admodum invalidis nunc utor et detractantibus. Tum haec epistula multum verborum ingerebat, mea autem dextera manus hac

tempestate paucarum litterarum.' Ita locus in codice exstat. Offenderunt autem editores in verbis: multum verborum ingerebat. Atque Buttmannus coniecit: multorum verborum indigebat, cui assensus est Naberus. Etiam Klussmannus l. c. p. 70 cum vocem 'ingerebat' non recte se habere existimaret 'multum verborum imponebat' corrigendum esse suasit. At nostra quidem opinione in libri lectione omnino nihil mutandum est. Concedo sane elegantem contentionem Buttmanni coniectura effectam esse: multorum verborum — paucarum litterarum. At nisi aliae causae afferuntur, quibus verba suspecta fiant, codicis lectionem violentius non immutaverim. Valet enim verba ingerere idem fere atque dicere. Quare loci sententia ea est, ut Fronto dicat, se praeter digitorum imbecillitatem ob eam rem sua manu rescribere non potuisse, quod prolixior epistula multa dicebat i. e. multa verba continebat. Similiter dixit Tac. ann. IV. 42, 4 H. 'voces ingerere'; Apul. met. V. 6 'ingerens verba mulcentia'. Vide etiam Hildebr. ad h. l.

De nepote amisso 2. p. 233, 13 sq. Fronto postquam ob nepotem in Germania exstinctum fatorum iniquitatem obiurgavit se ipse consolans et quasi corrigens haec scribit: 'Nisi forte alius quidam (de emendandis his verbis cf. Ehrenthal. l. c. p. 28) nos error iactat et ignari rerum, quae mala sunt, quasi prospera concupiscimus, contra quae bona sunt, pro adversis aversamur et mors . . . ., quae omnibus luctuosa videtur, pausam laborum adfert et sollicitudinum et calamitatum miserrimisque corporis vinculis liberatos ad tranquilla nos et amoena et omnibus bonis referta animarumque conciliabula travehit'. Lacuna in verbis descriptis est quattuor litterarum. Qua de causa, quod ad spatium oblitteratum attinet, inseri potest pronomen ipsa. Idem autem supplementum etiam sententia loci commendatur. Desideratur enim post vocem 'mors' verbum aliquod Frontonis sententiam confirmans scilicet vel mortem ipsam, de qua sermo sit, quaeque summum malum habeatur, malum non esse. [1])

[1]) Eandem loci medelam, ut postea comperi, proposuit Eussnerus in Fleckeis. annal. CXI. p. 766.

Singulare est, quod verbum modificandi reperitur activa forma sensu autem intransitivo **ad M. Caes. IV. 3 p. 65, 2 sq.** 'Tibi vero nemo in ea re (sc. utrum Marcus inter synonyma scrupulose elegantissima quaeque requirat nec ne) intercedere aut modificare iure ullo poterit, qui sis liberis prognatus et equitum censum praetervehare et in senatu sententiam rogere.' Nusquam alibi verbum modificandi sic usurpatur; tum vero apud Frontonem ipsum exstat forma deponentialis cf. p. 133, 17 'temperes et reparcas et modificeris desideriis omnibus'. Idem fit apud Apuleium, cuius dicendi genus saepissime congruit cum Frontoniano cf. met. XI. 21 'ut solent parentes immaturis liberorum desideriis modificari'; de deo Socr. prol. 105 'orationi modificabor;' adde de dogm. Plat. II. 12.

Itaque astipulor Orellio 'modificari' corrigenti; praesertim cum sanatio lenissima sit, dummodo scribatur modificarei (sequitur i littera.)[1]) cf. p. 96, 6 'progredei'; 210, 17 'placarei'; 42, 1 'protelarei' pr. m. Eadem autem ratione Baehrensius ad M. Caes. II. 5. p. 30, 7 ('priusquam poetare incipiam') bene restituit 'poetarei' cf. Fleckeis. annal. CV p. 633.

Hominum doctorum emendandi conatibus vexatissima sunt, quae leguntur **de feriis Alsiensib. 3. p. 229, 1 sq.** 'Tum Iovem deos alios percontatum animadvertisse, gratiam vigiliae aliquantum pollere; Iunonem plerosque partus nocturnos ciere; Minervam artium atque artificum magistram multum vigilari velle; Martem nocturnas eruptiones et insidias mutare iuvare; Venerem vero et Liberum multo maxime pernoctantibus favere'. Luculenter apparet, Martis auxilium non in sola mutatione eruptionum et insidiarum positum esse posse, sed id solum spectari, utrum insidiae Marte adiutore cum bono eventu locentur nec ne; itaque verbum mutandi hic ferri nequit. Multimodis autem, ut modo diximus, viri docti loco mederi studebant. Atque Heindorfius emendavit: insidias tutari et iuvare; Orellius: ins. militares iuvare cf. chrestom.

---

[1]) In idem incidit, ut nuperrime cognovi, censor anonymus dissertationis Ebertianae in indice philologo vol. XII. p. 398.

Front. p. 172; Hauptius: ins. iuvare. cf. op. II. p. 353; Maehlyus: ins. mutas iuvare cf. Philolog. XIX. p. 161; Klussmannus: ins. omni ope iuvare (Fleckeis. annal. CIX (1874) p. 638); Ebertus l. c. p. 49 ins. multas iuvare. Sed hae coniecturae omnes fere plus aequo a codicis scriptura recedunt neque excepta ea, quam postremo loco protuli, sententiarum parallelismum curant, cuius nimis studiosum fuisse Frontonem satis constat. Iam optime concinnitas loci restituitur, si corrigis: insidias multa re iuvare. Ubique enim subiuncta est vox, qua exprimitur modus auxilii a deis lati: multum vigilari velle; multa re iuvare; multo maxime — favere. Quae lectio ideo quoque veri similitudinem quandam habet, quod a codicis corruptela nihil ferme abest. Similiter autem Marcus dixit ad M. Caes. III. 21. p. 57, 17 sq. 'Vale, meus magister, qui merito apud animum meum omnis omni re prevenis.'

Vix recte et Maius et Naberus ex codicis vestigiis Frontonis manum redintegrarunt **ad amic. II. 7 p. 198, 5 sq.** 'Proculus homo ingenio ad cetera remisso et delicato, sed in sententiis dicundis ad puniendum paulo vehementior et infestior'. Durievius enim e palimpsesto haec descripsit: 'dicundis ad .uniendum paulo ut . . . . . . inor et infest. . .' in quibus litteras d in 'ad' aegre discerni et u in 'puniendum' ex correctione natas esse adnotavit, quamquam non satis perspicitur, utrum prior an posterior u littera huius verbi significetur. Sed haec non moror; usque ad vocem 'paulo' omnia recte edita esse puto.

At, quod insequitur, dico comparativum 'vehementior', mihi displicet. Nam si singulas litteras diligentius cum codice comparaveris, n littera in 'inor' redundabit. Equidem existimaverim in 'inor' subesse partem verbi 'opinor', quo Fronto ut interposito (παρενθέτως) saepius utitur. cf. p. 65, 21 'ita, opinor, scripsisti'; p. 71, 6 'Εὐριπίδης ait, opinor'; 173, 4 'non, opinor, ad iustitiam iudicis labefactandam' cf. etiam Ebert. l. c. p. 43.

Quo supplemento inserto corrigendum restat: 'ut . . . .' in quo litteras u et t a Durievio perperam descriptas esse

suspicor. Huc enim optime quadrat comparativus 'durior', quem Maius non recte ad totam corruptelam sanandam usurpavit, cum duobus verbis opus sit. Codicem autem a Durievio falso depictum esse me opinari ideo dixi, quod litterae 'ut' haud difficili negotio commutari possunt in 'du'.

Ut igitur brevi repetam, quae exposui, locum velim ita legas: 'sed in sententiis dicundis ad puniendum paulo durior, opinor, et infestior'.

Paulo post Fronto ita scribit (**ad amic. II. 7. p. 198, 12 sq.**) 'detrahi ignominiam iusseris nepotibus, genere adfinibus.' Ita Naberus edidit. Quamquam iudicium de loci sententia ea re impeditur, quod verba e contextu erepta sunt — nam admodum pauca in hac codicis pagina legi possunt — tamen una vox certe probari nequit. Quid enim sibi vult 'genere' inter 'nepotibus' et 'affinibus'. Itaque recte Klussmannus l. c. p. 67 emendavit 'genero'. Sed ne ita quidem, quantum video, omnia se recte habent. Concinnitas verborum poscere mihi videtur, ut ex 'iusseris', in quo litterae 'iuss' ab editore suppletae sunt, efficias, 'liberis'. Saepius vero Fronto cognatos ita enumerat, ut cum nepotibus collocentur liberi. cf. p. 195, 1 'quantum dedecus est plena liberis ac nepotibus domo infamia notari'; 195, 10 'aequiusne est arboribus honori atque tutelae poma — esse, quam hominibus liberos nepotesque'? p. 181, 14 'familiam nostram liberis ac nepotibus augebunt'; cf. etiam p. 94, 15 M. 'laetissimus incolumitate filiae, nepotum, generi'.

Ad Anton. Pium 8 p. 169, 19 sq. Fronto postquam imperatori retulit, quorum hominum auxilium arcessivisset, ut et provinciae administrandae munus quam optime obiret et valetudini parceret, ita pergit: 'Haec omnia feci spe fretus, posse me victu tenui et aqua potanda malam valetudinem, qua impedior, si non omnino sedare [cert]e ad m[aius] intervallum [eius] impetus mitigare.'

Dedi Mai lectionem a Nabero receptam, etsi eam non esse plenam statim pernoscemus. Durievius enim inter voces 'intervallum' et 'impetus' haec distinxit: eq . ec . . . . is. Qua in corruptela quin plus lateat, quam solum illud Maia-

num 'eius' nemo poterit dubitare. Quid vero Frontoni ex istis reliquiis, quas proxime descripsimus, addicendum sit, nostra quidem sententia haud difficile est intellectu. Dicit enim rhetor se malae valetudinis impetus amicorum auxilio mitigare velle. Quare a sententia loci non aberit, tale quid pro corruptela substituere, quod et ad verbum 'impetus' pertineat et cum notione mitigandi commode coniungatur. Atque satisfaciet fortasse haec emendatio: 'certe ad maius intervallum acres eius impetus mitigare'.

Sane primo obtutu haec lectio a codice paulo plus abesse videtur; sed ilico explicabimus, quomodo illud q, quod maxime cum coniecturae litteris pugnat, ante oculos Durievii falso oriri potuerit. Evasit enim ex collocatis litteris c et r = CR omissa altera R litterae parte, dico signum ꝛ, cuius spatium in corruptela inter q et e puncto indicatum est; litterae autem i et s quae in fine lacunae exstant, extrema pars vocis 'eius' sunt; iam reliqua facile suppleri possunt.

De nepote amisso 2 p. 232, 12 sq. Fronto nimiam fatorum acerbitatem conqueritur, qua uxorem et quinque liberos amiserit atque hos quidem ea rerum condicione tristissima, ut ipsi nunquam pro demortua prole solacium relinqueretur in superstite. Sed hos dolores, cum ipse solus eis affligeretur, forti animo se perpessum esse ita testatur: 'Verum illos ego luctus toleravi fortius, quibus egomet ipse solus cruciabar. Namque meus animus meomet dolori obnixus, oppositus quasi solitario certamine, unus uni, par pari resistebat. At nunc . . . . dolor dolore . . . ri multiplicatur et cumulum luctuum meorum ferre nequeo; Victorini mei lacrimis tabesco, conliquesco.'

Propositum mihi est, alteram lacunam resarcire, in qua teste Durievio haec discernuntur: . . ucueri. Cum Fronto suum ipsius dolorem luctu alieno augeri contendat, tale supplementum in promptu est: At nunc (nepote amisso meus) dolor dolore mei generi multiplicatur.



Index locorum emendatorum.

Appendix.

I.

Excursus de synonymis Frontonianis.

Frontonem synonymis inquirendis multum operae tribuisse, documento sunt hi loci:

Pag. 151, 1 sqq. 'Tum si quando tibi negotiis districto perpetuis orationis conscribundae tempus deesset, nonne te tumultuaris quibusdam et lucrativis studiorum solaciis fulciebas, synonymis colligendis, verbis interdum singularibus requirendis? ut veterum commata, ut cola synonymorum ratione converteres'.

Pag. 154, 7 sqq. 'Securus inde abeas, cui nihil per noctem meditandum aut conscribendum — null[a verborum] indagatio, nullius synonymi ornatus.'

1. Substantiva.

caput atque fons (romanae facundiae) p. 63, 2 F.
labore atque negotio 51, 2 F.
molestias atque difficultates 45, 23 et 24 F.
aliquid molestiae atque oneris 51, 20 F.
de — more — atque instituto deducerentur 114, 16 F.
optio atque electio 143, 6—7 F.
oris atque orationis (cultus) 136, 11 F.
praeter spem atque opinionem 63, 18 F.

amici ac familiares 164, 15 F.
amicos ac sectatores 58, 19—20 F; 59, 4 F.
fides ac religio 86, 27 M.
finis ac modus 196, 21—22 F.
metum ac sollicitudinem 73, 20 F.
potentiam ac potestatem 150, 22—23 F.
studio ac labore 114, 23 F.
per — vias ac semitas 47, 4 F.

ambitus — et circumitiones 161, 11 F.
bellicae—laudis et adoriae 120, 18F.
caritas et amor 134, 9—10 F.
communicatio et societas 175, 8 F.
diligentia et studio 216, 2 F.
fel et bilem sapiant 43, 1 F.
fraudes et captiones et insidiae 215, 4—5 F.
honestatem — et probitatem 170, 23 F.
ludo et ioco 224, 3 F.
lites et iurgia 181, 17 F.

metu magno et pavore 73, 22 F.
oris et vocis et facundiae 97, 21 F.
otio et quiete 89, 24 F.
oris detexta et revimentis — cincta 211, 20—21 F.
socium et optionem 45, 4 M; 45, 11—12 F.
sordes et illuvies 158, 18 F.
studio — et labore 22, 12 F.
sine vi et vigore 128, 23 F.
vis et potestas 14, 12 F.
viperas lacertas et natrices (in marg.) 218, 4 F.

curam cultumque 103, 11 F; 136, 10 F.
cura diligentiaque 133, 11 F.
deliciarum voluptatumque 45, 20 F.
existimationi tuae famaeque 192, 13 F.
gravitatem auctoritatemque 173, 11 F.
insidias fraudesque 218, 13 F.
modo temperamentoque 22, 9 F.
multa opera multaque cura 228, 23—24 F.
pro tua prudentia intelligentiaque 176, 20—21 F.

nullus finis nec modus 158, 5 F; cf. 18, 3 F.
delubrum aut fanum aut templum 66, 27 M.
facundia aut eloquentia 27, 11 M.

2. Adiectiva.

comi adque adfabili oratione 53, 7 F.
durum prosus atque inhumanum 115, 1 F.
famosam atque celebratam 37, 16 F.

bonus ac benignus 85, 22 F.
laetus ac libens 192, 11 F.
malus ac malitiosus 24, 9 F.
primo ac potissimo 52, 17 F. (cf. quae diximus p. 41)
semiperitum ac semidoctum 61, 24 F.
subitus ac repentinus 7, 15 F.

bone et optime 39, 11 M. cf. 49, 27 et Eussner. Mus. Rhen. XXV. 546.
claros et nobiles 227, 17 F.
verba contorta et fidicularia 146, 9 F.
copiosum — et redundantem 156, 2 F.
fecundi et frugiferi 195, 8 F.
firmum et ratum 42, 23 F.
gravior et severior 153, 16 F.
gravibus et seriis 73, 24 F.
incertae et dubiae 15, 9—10 F.
incertas et suspensas 17, 5 F.
infantes et elingues 123, 12—13 F.
intutam et expositam periculis neglegentiam 214, 14 F.
laborum — parciorem et occupationum — modestiorem 50, 22—23 F.
locupletissimum et copiosissimum 46, 3—4 F.
minimis et levissimis 137, 4 F.
navi — et strenui 183, 11 F.
primum et praecipuum 92, 7 M.
propitium et placatum 25, 22 F.
remisso et soluto et libero animo 57, 14 M.
rixatorium — et iurgiosum 74, 6 F.
salvom et inlaesum 79, 25 F.
sanum et validum 91, 23 M.
scrupulosa et ancxia cura 64, 4 F.
solitis et usitatis verbis 50, 4—5 F.
sublime et excelsum 150, 3 F.
subtile et tenue suptemen 233, 10 F.
volgaribus et usitatis (verbis) 64, 1 F.
gratum acceptumque 219, 14 F.
tam iucundum tamque mellitum 27, 9—10 M.

perniciosum — malum maximeque internecivum 59, 17—18 F.
praesentem promptamque 47, 14—15 M.
probum honestumque 175, 18 F. (in marg.)
propitiae placataeque 67, 20—21 M.
tam suavis tamque saviata 86, 3 F.

aequum aut iustum 232, 22 F.
occultum aut dissimulatum 50, 11—12 F.
invitum, querentem 130, 8 V.

3. Adverbia.

cito et cursim 24, 10 F.
placide et clementer 230, 1 F.
singillatim — ac nominatim 210, 13 F.
non temere nec sine dilectu 199, 5 F.
pueriliter aut inconsulte (pr. m. om. aut.) 41, 23 F.
forte aut temere 173, 20 F.
lente, otiose 26, 11—12 F.

4. Verba.

censes atque — decernis 105, 14—15 F.
irascor adque suscenseo 60, 25 M.
obsecro atque oro 47, 22—23 M.

abde ac reconde 252, 4—5 M.
corrigis ac mederis 143, 23 F.
placem — ac mitigem 168, 19 F.
spernenda — ac repudianda 114, 24 F.
tueri ac defendere 183, 14 F.

alternata — et interposita 12, 12 F.
dominatur et praepollet 21, 15 F.
fingo — et comminiscor 15, 12—13 F.
inquinat — et dedecorat 195, 2—3 F.
intellego et perspicio 13, 5 F.
mandasse et concredidisse 134, 15 F.
oro — et obsecro 133, 16 F.
oro et quaeso 44, 6 F.
oro et rogo καὶ ἀντιβολῶ καὶ δέομαι καὶ ἱκετεύω 84, 7—8 M. cf. Lys. or. 18. 27; 21. 21 (quos locos debeo amico).
scatere et abundare et spumas facere 67, 25 M.
temperabis et moderaberis 22, 8—9 F.
temperes et reparcas et modificeris 133, 17 F.
trepidant et pavent 149, 22 F.
urgere et premere 42, 19—20 F.
ne liveant neve invideant 59, 15 F.

adsimulandae comparandaeque 212, 9 F.
quod cupis quodque exoptas 230, 11 F.
fudit fugavitque 123, 9 F.
habeoque teneoque 120, 11 F.
hiantes oscitantesque 140, 7—8 F.
pigeat taedeatque 132, 18 F.
praecor quaesoque 260, 32 F.
probavi laudabique 66, 7 F.
ut voles utque tuus animus feret 119, 15 F.
concupiscere — aut adpetere 143, 13—14 F.

amo, diligo 26, 3 F.
funduntur, fugantur 10, 21 M.
habeo, possideo pr. m. 27, 3 M. (s. m. del. habeo).
frustra nos studemus, frustra laboramus, frustra nervos contendimus 29, 6—7 M.

Multis locis Fronto ea potissimum synonyma coniunxit, quae ab eadem praepositione initium capiunt, nempe idcirco, ut notio synonymis significanda etiam praepositionibus illustraretur:

appellare adque **ad**fari 53, 2 F.
concinnius aut **con**gruentius aut **com**modatius 162, 5—6 F,
concordarent et **con**suescerent et **con**gregarentur 58, 21—22 F.
dedicavi atque **de**spondi atque **de**legavi 36, 13—14 M.
dediderit atque **de**voverit 96, 14 F.
effectum et **e**laboratum 28, 13 M.
erige te et **ex**tolle 148, 4 F.
extirpandum **e**ruendumque 59, 14 F.
[**ex**plo]ratum atque **ex**peditum 106, 8 M. (loc. mutilo).
iniussu atque **in**vocatu 114, 26 F.
inlibatam et **in**columem 79, 14 M.
imperitum et **in**doctum 61, 23 F.
inpudens atque **in**pudica 40, 6 F.
insperata adque **in**opinata 63, 14—15 F. cf. 63, 17 F.
integro **in**libato **in**columi 5, 1—2 M.
inutile nec **in**fructuosum 105, 10—11 F.
invictam et **in**expugnabilem 121, 4 F.
obnixus, **op**positus 232, 14 F.
remotis et **re**quisitis 64, 1 F.
respirabi — et **re**valui 133, 7 F.

II.
Excursus de deminutivis Frontonianis.

Cum Fronto poetarum comicorum aemulator sit frequentissimus, consentaneum est, magnum numerum deminutivorum in epistulis eius reperiri.

1. Substantiva.

apicula 137, 3 F.
arbuscula 7, 16 F.
Atellaniola 34, 15 M.
auricula 28, 3 M.
avicula 182, 9 F.
chartula 182, 4 F.
corpusculum 90, 17 M; 91, 27 M.
domnula 83, 3 M; 223, 6 M.
febricula 72, 8 M; 92, 8 M.
filiolus 101, 19 M.
filiola 91, 12 M.
foculus 133, 7 F.
formicula 137, 3 F.
fornacula 7, 6 F.
gemmula 65, 9 F.
hastula 158, 22 F.
holusculum 225, 21 F.
hortulus 7, 16 F.
labellum 156, 16 F.
lecticula 65, 18—19 F.
lectulus 56, 23 F; 89, 21 F; 91, 18 F; 45, 3 M; 68, 11 M.
libellus 83, 20 F; 190, 10 F; 55, 16 M; 56, 8 M; 87, 17 M; 116, 2 V.
litterula 43, 4 F.
lucubratiuncula 9, 9 M.
marculus 65, 8 F.
matercula 70, 2 M.
mensula 74, 19 F.
micula 88, 4 F.
musculus 24, 7 F.
naevulus 98, 18 F.
nidulus 94, 17 M.
oratiuncula 34, 15 M; 76, 8 M.
parmula 158, 21 F. (in marg
particula 18, 13—14 F; 32, 18 F.

passercula 70, 5 M.
pellicula 67, 4 M.
perfrictiuncula 69, 9—10 M.
prunulum 155, 21 F.
puerulus 41, 1 M; 41, 21 F.
pullulus 101, 2 F.
sellula 89, 18 F.
sipunculus 158, 22 F.
studiolum 68, 21 M.
tabella 182, 4 F.
tussicula 72, 9 M; 99, 7 et 15 F.
ulcusculum 83, 22 F.
unguiculus 96, 13—14 F.
utriculus 97, 1 F.
vocula 61, 4 F; 101, 12 F; 113, 8 F; 149, 17 F.

2. Adiectiva.

aliquantulum 83, 15 F.
argenteolus 157, 1 F.
breviculus 48, 22 F; 146, 16 F.
crispulus 159, 20 F.
forticulus 186, 16 F.
frigidulus 31, 16 M.
graeculus 43, 2 F.
longiusculus 97, 4 F.
meliuscule 73, 18—19 F.
minusculus 70, 5 M.
minutulus 66, 25 M.
novellus 153, 4 F; 223, 11 F.
parvulus 75, 8 F; 82, 5; 86, 18; 101, 21; 104, 11; 230, 16 (excepto primo omnes loci sunt Marci.)
pauculus 9, 17 M; 21, 6 F; 56, 16—17 M; 32, 3 M; 218, 6 F; 17, 14 F. (de postr. loc. cf. Studem. l. c. p. XXI.)
paululum 35, 12; 66, 22; 68, 19; 70, 1; 75, 21; 104, 8; 106, 23—24 (omnes loci sunt Marci).
perpauculus 9, 5 M.
pinguiculus 75, 8—9 F.
plusculus 35, 15 M; 70, 13 M.
quantulum 197, 7 F.
tantulum 60, 4 M; 69, 17 M; 98, 21 F.
tristiculus 55, 25—26 M.
vetusculus 151, 8 F.

VITA.

Theodorus Schwierczina natus sum die VIII m. Septembris a. h. s. LV in vico superioris Silesiae, cui nomen est Klein-Paniow, parentibus adhuc vivis Joanne et Emma de gente Maus. Fidei addictus sum catholicae. Postquam gymnasium Bytomiense per novem annos frequentavi maturitatis testimonium adeptus autumno a. h. s. LXXVI universitatem litterarum Vratislaviensem adii et studiis philologicis per duo semestria operam navavi. Deinde Lipsiae studia continuavi, ubi per unum semestre proseminarii philologici sodalis fui. Autumno a. h. s. LXXVIII Vratislaviam redii ibidemque exercitationibus seminarii regii philologici interfui per unum semestre sodalis extraordinarius per alterum ordinarius. Scholas frequentavi horum potissimum virorum illustrium: Lipsiae: Curtius, Heintze, Lipsius, Ribbeck, Zarncke; Vratislaviae: Dilthey, Hertz, Neumann, Partsch, Reifferscheid, Roepell, Rossbach, Weinhold. Quibus viris omnibus gratias nunc habeo quam maximas semperque habebo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Verisimillimum est Alcmanem floruisse circa Ol. XLII.

II. Soph. Trach. v. 585 τὴν παῖδα καὶ θέλκτροισι τοῖς ἐφ' Ἡρακλεῖ Wunder et Wecklein male e textu eiecerunt.

III. Thuc. V. 47. 11 in verbis: τὰς δὲ ξυνθήκας — ἀναγράψαι ἐν στήλῃ λιθίνῃ Ἀθηναίους μὲν ἐν πόλει (παρ' Ἀθηνᾷ add. Meineke), Ἀργείους δὲ ἐν ἀγορᾷ ἐν τοῦ Ἀπόλλωνος τῷ ἱερῷ, Μαντινέας δὲ ἐν τοῦ Διὸς τῷ ἱερῷ ἐν τῇ ἀγορᾷ parallelismus turbatus est et pro ἐν τῇ ἀγορᾷ legendum videtur esse ἐν ἀγορᾷ; ibid. paulo post pro ἐὰν δέ τι δοκῇ legerim ἢν δέ τι δοκῇ.

IV. Sen. contr. II. 1. 10 p. 157, 23 K. 'omnis regio trucidatorum corporibus consternitur; (in) illa tum multitudine cadaverum' recte Madvigius inseruit praepositionem 'in', nisi quod traicienda est post 'tum'.

V. Gell. X 8 Htz. pro 'sanguinis dimissionem' et 'sanguinem dimitti' legendum esse puto 'sanguinis demissionem' et 'sanguinem demitti'.

VI. Perperam Naberus in editione Frontonis ad Anton. Imp. libri secundi epistulas duas extremas reiecit in librum secundum ad M. Caesarem.

VII. Codex Frontonianus a Maio ut primo Frontonis editore satis accurate descriptus est.

